Al Ch. Sig. Prof. Nardo

in argomento di stima

l'autore

SERMONES

HABITI

IN ARCHIGYMNASIO BONONIENSI

QVVM ADOLESCENTES NONNVLLI

IVRISPRVDENTIÆ LAVREA

DONARENTVR

ANNO MDCCCXVII.

BONONIÆ

EX TYPOGRAPHIA IOSEPHI LVCCHESINII

PERMISSV PRÆSIDVM.

IACOBO MORELLIO EQ.

PRÆF. BIBLIOTHECÆ MARCIANÆ

PHILIPPVS SCHIASSIVS

Miraberis certe quidem, Vir præclarissime, quod qui italice ad te scripsi hactenus, nunc scribam latine. Sed quid caussæ sit, cur id faciam, aperiam statim. Sermunculi mihi sunt haud pauci, iique latine scripti, quos hoc anno abs me in Archigymnasio habitos, editosque identidem pro re nata, atque alios aliis inscriptos, ad Te mittam uno tempore: ex quibus cum volumen quasi quoddam exsistat, vide quid mihi in mentem venerit. Ejusmodi sermunculorum volumen (tantulis quantumvis rebus constans) venit in mentem non modo

ad te mittere, sed etiam Tibi, Tibi, inquam, tanto viro, tantæque in re litteraria gloriæ, cui nonnisi summa, et singularia, et perfecta inscribi debent, inscribere. Quod hac ipsa epistola præstare cum animus sit, latine ea scriberetur necesse fuit. Novi equidem quantum audaciæ in eo insit consilio; sentio id enimvero, palamque profiteor; sed illud item profiteor, ardere me incredibili cupiditate, quando Tu me, quantuluscumque sum, humaniter supra quam dici queat, amanterque complecteris, nomen ut meum cum tuo conjunctum in vulgus exeat, tantæque tuæ in me humanitatis, benevolentiæque memoria maneat apud posteros. Neque vereor, id cum facio, ne Viri illi præstantissimi, quibus singuli sunt inscripti sermunculi, quidquam offendantur; gaudebunt potius, sibique gratulabuntur, opinor, consociatione ista tua, ita vivam, gloriosissima. Quapropter hac in re sic mihi ipse placeo, ut consilium meum neque abs te improbatum iri, neque abs me non celerrime explendum putem. Cura diligenter valetudinem tuam, meque, quod facis, ama.

SERMO

HABITVS

IN ARCHIGYMNASIO BONONIENSI

IIII. KAL. FEBRVAR.

A. MDCCCXVII

IACOBO TOMMASINIO
DOCTORI CLINICES
IN ARCHIGYMNASIO BONONIENSI

PHILIPPVS SCHIASSIVS

Fuere, Vir præclarissime, qui sermunculum huncce ut ederem, ita suaserint mihi, ut etiam persuaserint. Quod cum illi abs me consecuti fuerint, id ego abs te consequi velim, ut eumdem prodeuntem in lucem tibi inscribi, dedicarique sinas. Quidni siveris? Numne verear, an rei, quam tibi sisto, tenuitate offendaris? Immo vero, istuc ipsum si vererer, credo, offendereris. Novi enim cum doctrinam, dignitatemque, tum benignitatem, atque humanitatem tuam; ut non tam in rebus, quæ tibi offerantur, magnitudinem probes, quam ejus, qui offerat, animum, voluntatemque comiter excipias.

Cæterum hujus tibi offerendi sermunculi tanta est convenientia, opportunitasque, ut nulla major. Is enim, ut videbis, maximam partem in Vttinii laudibus versatur; ejus nimirum viri, qui tum scientia, tum usu medendi inter primos, vel primus potius, in patria ætate nostra haberetur. Intelligis jam, quid caussæ sit, cur illum tibi nuncupari deceat. Quod profecto nihil opus est, ut fusius persequar. Neque enim quod evidens sit, aut tu negaveris, aut quis ignoraverit. Id potius aperiam (quod tamen unusquisque facile per se ipse cognoverit) munusculo hoc meo meam tibi observantiam, summam scilicet, ac plane singularem, publice testari voluisse. Quod quidem si mihi ut faciam, concesseris (ut autem concedas, te etiam atque etiam rogo) erit id mihi ita jucundum, ut nihil supra. Cura, ut valeas.

Cum sæpenumero apud vos, Collegæ præstantissimi, Auditores humanissimi, ad dicendum accederem, ac pro more meo excellentem aliquem Archigymnasii nostri virum laudibus exornandum susciperem, in incredibili prorsus eorum numero, qui laudatione dignissimi animo obversabantur, plus negotii, ut vere fatear, in deligendo expertus quandoque sum, quam in perficiendo; inopem enim, ut in proverbio est, me copia ipsa faciebat. Ac silentio quidem præterire necesse habui non paucos, quorum et virtus ipsa per se, et eximia in patriam merita quam amplissimas laudationes postulabant. Neque vero eos solum intelligo, quos proximæ illæ a restitutis disciplinis, atque artibus ætates effuderunt viros sive jurisprudentia, sive medicina, sive philosophia præstantes, sed eos etiam, qui nostra attigerunt tempora, quosque nostris oculis vidimus, immo quibuscum et officiorum

communione fuimus, et familiari ac prope quotidiano usu conjuncti. Nam ut in iis consistam, qui annis abhinc fere quatuordecim postquam in his ædibus Archigymnasii sedes est constituta, decesserunt, etsi non unum, aut alterum cum laude commemoraverim, nunquam tamen neque Carolum Mondinium, neque Ludovicum Saviolium, neque Gasparem Gentilium, neque Hieronymum Saladinium, neque Germanum Azzoguidium non dicam laudare datâ operâ sum aggressus, sed ne arreptâ quidem occasione, atque aliud agens nominavi. Mitto Petrum Bondiolium, mitto Iosephum Longanesium, mitto alios sive cives, sive exteros brevissimo hoc temporis intervallo sublatos, ut aliquis annumerando sit finis. An vero etiam mittam, quem non multos ante dies amisimus, Gasparem Vttinium? Equidem, ut facile sibi persuadere quisque potest, cum primum de sermone apud vos habendo cogitarem, longe aliud versabam animo, quod huic diei, ac loco satis accommodatum afferrem. Sed ab alia quavis cogitatione recentissima isthæc, et gravissima jactura ita mentem abstraxit, ut quam præcellentis viri laudationem meditabar, vel dimiserim penitus, vel in aliud

tempus distulerim. Num ne igitur Vttinium laudandum suscipiam? Non is profecto sum, qui id mihi sumpserim. Laudabunt sive philosophi, sive medici; laudabunt quicumque præter me, ejusque summam in re sive anatomica, sive medica doctrinam, præstantiamque singularem explicabunt illi quidem scite, intelligenterque extollent. Mihi neque medico, neque philosopho satis fuerit, si quod est cunctis apertum, probatumque, quodque omnium ore, ac sermone celebratur, si, inquam, dixero eum fuisse Vttinium, qui suos inter cives tum docendo, tum medendo paucos habuerit pares, superiorem certe neminem. Revocate in memoriam tempus illud, quo qui docendi munus ab Senatu Bononiensi essent consequuti, id nescio quomodo privatim potius, quam publice exercebant; immo exercebant qui vellent; neque enim ad id oneris quispiam adigebatur: quo fiebat, ut multi ab ea se molestia subducerent, ii præsertim, qui vel ingenio effervescerent, vel opibus affluerent, vel ad quæstuosiora properarent, vel commodo etiam cuidam suo indulgerent. At vero Vttinius quamquam et nemini scientiæ laude concederet, et fortunarum haberet satis,

et in curandis ægrotis dies solidos impenderet, tamen juvenes in unaquaque medicinæ parte informandos domi excipiebat suæ, et quandoquidem occupationibus aliis atque aliis interdiu premebatur, nocturnis horis erudiebat. Id autem quanta doctrinæ vi, qua perspicuitate, quo ordine, qua cura, diligentiaque perficeret, id argumento fuerit, quod ad ejus scholam tantus esset concursus, nulla ut alia schola magis celebraretur; neque enim solum cives, sed advenæ etiam, et græci potissimum, ad eum audiendum confluebant; ut ejus maxime operâ, et virtute Archigymnasium nostrum, quo anteactis temporibus adipiscendæ sapientiæ caussa e remotissimis regionibus quamplurimi confluebant, veterem gloriam vel retinuisse, vel revocasse videretur. Quam quidem laudem, magnam sane atque præclaram, dum in Vttinium confero, haud vereor, ne quisqnam me veritati vel minimum addere insimulet, quando ea de re universæ civitatis una vox est, exterorum quoque hominum mira consensio. Certe quidem et doctrinâ excellentes, et famâ præstantes bononienses medici qui apud nos florent in præsens, instituti ab eo fere omnes, doctique sunt; plerique etiam eorum,

qui Archigymnasium nostrum magisterio suo exornant, illustrantque, eorum quoque non pauci, qui in nobilissimis exteris urbibus docendi munere decorantur, ex ejus disciplina prodierunt. Neque vero qui tam uberes doctrinæ fructus intra domesticos parietes ederet, publico ille deerat ornamento, dignitatique Archigymnasii. Sunt enim interdum, qui ita naturâ comparati sint, ut vel pudore, ac timiditate quadam, vel inopia, ac jejunitate sermonis a majoribus quasi theatris abstineant, et lucem illam tantam, splendoremque refugiant: qui quidem minime reprehendendi; quin eorum modestia, et prudentia commendanda. At longe alius Vttinius exstitit; qui quum et ingenio promptissimo, et ubertate orationis, et alacritate animi, nedum scientiâ rerum, abundaret, in publicam sæpe arenam descendit, ac sive de scripto diceret, sive ex tempore disputaret, numquam non omnium plausus, acclamationesque reportavit. Qui profecto summâ in celebritate domi forisque cum versaretur, quid mirum quod clarissimos in re litteraria honores retulerit? ut idem Sodalis Benedictinus, idem Sodalis Instituti Italici, quorum alterum in patria, alterum in Italia uni-

versa potissimum habebatur doctrinæ vel testimonium, vel præmium, renunciatus fuerit. Sed et illa fuit Vttinio laus præcipua, ac plane singularis, quod cum tanta docendi præstantia incredibilem in medicina facienda usum conjunxerit; quæ duæ res in uno eodemque homine nonnisi perrarò copulantur. Atqui si quis umquam in civitate medendi famâ inclaruit, is vel Vttinius fuit unus, vel in primis numeratus est; eâ nimirum scientiâ, prudentiâque in curandis morbis utebatur, quæ maxima esse medico possit, ut in ejus curationibus summa sanationis spes poneretur. De quo propterea omnino contra usuveniebat, quam quod de medico illo ajebat Tullius, qui cum ad mulierem quamdam esset adductus, exclamabat mulier, se nullo modo velle ab eo curari, quo curante suos omnes perdidisset. At quid de Vttinio? Scilicet ab eo vel uxor maritum, vel parentes filios, vel filii parentes, propinqui propinquos, amici amicos, alii alios pristinæ valetudini restitutos, et fere a morte ad vitam revocatos affirmabant. Itaque Vttinium acciri, Vttinium consuli, Vttinio fidem adhiberi. Id enimvero palam est, omnibusque perspectum, in difficillimis mor-

bis ut medicus nobilissimus, atque optimus quæritur, sic Vttinium quæri consuevisse; eorumque præsertim, qui vel genere, vel virtute, vel gloria splendescerent, principum quoque virorum salutem, vitamque in maximis disciiminibus ei potissimum fuisse creditam, mirabiliterque servatam. Vtinam ille diutius vixisset, in cujus vita tam multorum vitæ hominum continerentur! Vtinam patris sui, qui ad centesimum tertium annum vitam produxit, ætatem assequi potuisset! Sed jam finis sit; nihil enim facilius, quam ut, si vel paullulum progrederetur, ad querelas, et ad luctum delaberetur oratio. Longe vero aliam postulat orationem et locus hicce, et dies; a quo tamen haud erat alienum de Vttinio dicere, qui hoc sapientiæ domicilium, immo et Collegium illustravit nostrum, quandoquidem eam quoque medicinæ partem, quæ ad jurisprudentiam spectat, professus est. Ad te jam sermonem convertimus, Vir spectatissime, eoque convertimus libentius, quod quo genere laudationis hactenus usi sumus, cum de Vttinio diceremus, ab eo, cum de te dicere aggredimur, minime sit nobis recedendum. Tu namque in tua disciplina, uti Vttinius in sua,

doctrinam probe perceptam cum usu, atque exercitatione conjunxisti. Annus enim jam vertitur vigesimus quintus, ex quo jurisprudentiæ tum civilis, tum sacræ studia cum absolvisses, totum te forensi labori dedidisti. Tu enim jurisperito in primis gravi, probatoque te statim actionibus, quæstionibusque judiciariis instituendum, atque informandum tradidisti; mirum vero quos progressus feceris cum ingenio, tum eâ, qua Tullius virtutes reliquas omnes contineri affirmavit, diligentiâ; quæ cum omnibus in rebus, tum in caussis defendendis plurimum valet, quæque, ut ille inquit, nihil est, quod non assequatur. Sunt jura, sunt formulæ de omnibus rebus constitutæ, ne quis aut in genere injuriæ, aut ratione actionis errare possit: tu nimirum in singulis instructissimus, atque ad omne jus paratissimus, promptissimusque. Tu in judiciis adesse, tu in foro versari, tu, verbo dicam, præstare quæcumque jurisperitus præstet, unumque tibi jurisperiti deesse titulum, cum cætera insint plane omnia; ut neminem umquam ad nostra hæc honoris insignia capienda accessisse arbitrer, qui ad legum scientiam tantam exercitationem adjun-

xerit. Quæ cum ita sint, an putabimus quemquam te esse digniorem, quem virtutis, doctrinæque caussa præmiis nostris, ornamentisque honestemus? Si his honoribus dignissimos judicamus adolescentes, qui scientiæ quidem laude commendantur, perceptarum tamen rerum usum nec habent ullum, nec habere possunt, quid de te judicandum erit, qui non inchoatâ, ut illi, scientiâ, sed perfectâ, omnique laudum genere cumulata antecellis? Quapropter nihil jam te, quod facere semper in sermonum nostrorum exitu solemus, nihil te, inquam, hortabor, nihil monebo, ut quemadmodum cœpisti, ita prosequare: neque enim, cum de te agitur, ullus est hortandi, monendique reliquus locus, sed laudes tantummodo, gratulationesque tibi deberi intelligo. Quod dum considero, non possum quin mihi ipse gaudeam, quod eam hodierno die orationem habere licuerit, quæ cum a præstantissimi viri laudibus initium duxerit, ad laudes deinde tuas devenerit, in laudando ita versata sit omnis, ut ad extremum quoque finem perducta non aliò se vertere, sed sistere ibidem possit, et in laudando conquiescere.

BONONIÆ

EX TYPOGRAPHIA IOSEPHI LVCCHESINII

PERMISSV PRÆSIDVM.



SERMO

HABITVS

IN ARCHIGYMNASIO BONONIENSI

III. ID. FEBRVAR.

A. MDCCCXVII

ALOYSIO ROBERTO
FOROLIVIENSI
DOCTORI LEGUM

PHILIPPUS SCHIASSIUS

Etsi nonnullis abhinc annis, Roberte optime, in nugis meis edendis audacior sum factus, quam ne ipse quidem fieri me umquam posse putavissem, tamen non eo usque verecundiae fines sum transgressus, ut nesciam, bene me et naviter, quemadmodum ait Tullius, impudentem esse oportere. Quorsum haec? Nempe ut audaciae meae te vel socium, vel auctorem adsciscam. Etenim sic habeto: venit nuper in mentem, quem sermonem nudius tertius in Archigymnasio recitavi, quum Antistitem amplissimum Laurentium Mazzolinium Ecclesiae Foroliviensis Archipresbyterum, civem tuum, laurea donarem,

sermonem eumdem in vulgus prodere, ut observantiæ in illum meæ significatio ad posteros propagaretur. Vides, quantum in eo consilio audaciæ sit; est enim sermo ille hujusmodi (idque probe nosco) qui a tanti viri amplitudine, ac dignitate absit longissime. Et nihilominus mihi ejus edendi cupiditas ita insedit, nullo ut evelli modo possit. Quid igitur? Te etiam atque etiam rogo, mi Roberte, ut quando huic meæ cupiditati si indulgeam, audaciæ culpâ non vacem, patiaris, in te ejus culpæ partem aliquam derivari; tu, inquam, velim quasi suasor, hortatorque mihi sis consilii mei; atque ut ego meæ, sic tu observantiæ in illum tuæ id concedas, quod ipsius rei tenuitati, judicioque tuo negandum existimares. Sed hac de re haud plura ad te scribam, ne aut vim tibi prope velle inferre, aut prudentiæ tuæ videar diffidere. Sermonem tibi jam ipsum mitto. Tu quid fieri expediat, videbis. Cura diligenter valetudinem tuam, meque ama.

Numquam alacriori animo ad dicendum surrexi. Quamquam enim conspectus vester multo jucundissimus, Collegæ præstantissimi, lectissimique Auditores, quorum sum semper humanitatem, benevolentiamque expertus singularem, sæpe antea dicentem me vel erexerit, vel confirmaverit, nondum tamen eam dicendi fueram occasionem nactus, quæ tantâ animum, quantâ hodierno die, alacritate perfunderet. Etenim alias verba faciebam exornaturus adolescentes, quibus et magna quidem erat perceptæ doctrinæ laus, et munerum, atque ornamentorum spes maxima futurorum. At eum exornare dicendo, qui alios exornaverit, in quo plurimum insit auctoritatis, atque amplitudinis, qui ordini splendidissimo præsit, dignitate sit auctus nobilissima, Principis gratia foveatur, in præclara virtutis apud cives, exterosque existimatione versetur, id enimvero non modo mihi nunc accidit novum, sed

arbitror ante hoc tempus præter me accidisse nemini. Quo mihi intelligo longe alio orationis genere, quam quo superioribus sum temporibus usus, utendum in præsens esse. Cum enim hæc nostra doctrinæ insignia antehac pro veteri more adolescentibus deferrem, eos non tam præmiis honestabam, quam incitamenta veluti quædam, stimulosque currentibus admovebam. Magnum itineris spatium ab iis confectum gratulabar; at longe majus conficiendum commonstrabam; manere eos ajebam munera et plura, et gravia, ad quæ contenderent; hæc illis patriam obeunda proponere; hæc assequenda omni studio curarent; exspectationem, quam de se movissent, implerent, vincerentque: hortabar, urgebam, impellebam; atque ut eorum mentibus quæ dixissem, altius firmiusque infixa hærerent, præclarissimorum virorum tum veterum, tum recentium laudationes quasi quasdam contexebam, eorumque exemplis ad imitandum propositis ad patrum gloriam æmulandam, exæquandamque filios, ac nepotes inflammabam. Nunc vero liceat ne mihi quemquam ad imitandum proponere Viro amplissimo, qui proponi cæteris in exemplum ipse idem possit? Honores ne

ego illi, et munera assequenda objiciam, quibus est jampridem cumulatus et plurimis, et gravissimis? Stimulem ne ad cursum, qui metas attigerit? Etenim sic se res habet, Auditores. Qui vobis est ante oculos spectatissimus Vir, eam vitæ rationem a teneris annis instituit, semperque retinuit, ut ætatis cujusque gradus virtutum suarum, honorumque clarissimorum splendore illustraverit. Namque ut earum virtutum, atque honorum originem, et progressionem brevissime persequamur, cum nobili esset, patriciaque gente ortus, nobilitatem ille, quæ ex doctrina, et pietate compararetur, quam quæ ex genere obveniret, excellentiorem putavit; eamque præstantiam sibi adipiscendam intellexit, quæ suis potius, quam alienis laudibus, laboribusque deberetur. Itaque jam inde a prima adolescentia cum optimis fuisset et litterarum, et morum præceptis, institutisque informatus, totamque vim bene, sapienterque vivendi in omnium rerum humanarum contemptione ponendam cognovisset, sanctissimo præclarissimoque Sodalium Carmelitarum veteris observantiæ Ordini nomen dedit; in quem cooptatus ut præclare posuit initia, sic cætera sequuta sunt.

Cum enim rationes illas vivendi certas, illasque errare non patientes vias, quas illi sequuntur, diligentius tenuit in dies, tum ad disciplinas, quas excolunt, omnes sic mentem appulit, ut celerrimos in iis progressus fecerit, summosque in unaquaque honores reportaverit. Iam philosophiæ se primum, tum divinarum rerum scientiæ cum dedidisset, earum curricula non ante absolvit, quam utrarumque lauream promeruerit. Sed hos adeptus honores longissime abfuit, ut quidquam de pristinis laboribus remiserit; immo vero auxit vigilantiam, sedulitatem, contentionem animi, et in sacris potissimum litteris studium collocavit suum, iisque se totum dedit. Minime vero erat committendum, ut qui eas tantopere calleret, easdem non in aliorum fructum, utilitatemque derivaret. Omnino oportebat uberem doctrinæ vim, atque copiam nullis obstringi repagulis, neque inclusam, abditamque latere in occulto, sed eminere foras, effluenterque tamquam ex perenni fonte emanare. Quapropter fuit illi statim docendi munus demandatum; quo quidem et Luci in Æmilia, et Forilivii, et Ravennæ duodecim ipsos annos perfunctus est, atque ita perfunctus, ut ejus

alumni cum doctoris scientiam, eruditionem, eloquendi facultatem admirarentur, tum lenitatem quoque animi summam, facilitatemque adamarent. Vix enim dici potest, quam ille miti ingenio, quam suavi; quamque etiam in magna virtutis, dignitatisque præstantia modestus; et cum integerrimus morum, officiorumque omnium sit retinentissimus, servantissimusque, quam humanus idem, et comis in omnes exsistat, atque a mansuetudine numquam abscedens. Id experti præ cæteris sunt Ordinis sui Sodales Novitii, quibus magister fuerat datus, id Virgines Deo devotæ, quas ad sanctioris vitæ tramites perduxit. Sed munera etiam longe graviora, eaque multo honorificentiora erant illi propediem deferenda; atque illud jam erat delatum, quo in consilium vocaretur eorum, quibus summa rerum in Provincia sua definiendarum esset concredita; eoque munere non in triennium, non in quinquennium, ut plerisque usuveniebat, sed ut paucis, hoc est præstantioribus, in perpetuum fuerat ille auctus, decoratusque. Sedenim fecit illa rerum omnium conversio, quæ exeunte sæculo proximo superiore multos mortales afflixit, cum ipsum quoque in honorum

amplissimorum cursu perculisset, ut et iis omnibus, quæ ab Ordine suo accepisset, muneribus, ornamentisque uno se ictu spoliatum viderit, et eorum, quæ esset accepturus, spem sibi omnem præcisam, penitusque sublatam senserit. Minime tamen animo concidit; sed ut sapientem, atque adeo christianum hominem, immo vero sacricolam talem, talibusque præditum virtutibus decebat, cum et conscientiâ recte factorum sustentaretur, et rerum omnium auctorem, et moderatorem Deum unice spectaret, illud est vitæ genus complexus, in quo et stare cum dignitate posset, et sine metu conquiescere. Interea vero cum solatium sibi etiam a litteris aliquod in sua calamitate petendum existimaret, remotus ab oculis populi in earum studiis omne otium conterebat; in earum, inquam, studiis litterarum, non modo quibus semper fuerat assuetus, quæque ad religionem et amplectendam, et colendam animos informant, sed quibus in ea potissimum temporum conditione sibi uti licebat, ut ad divinarum rerum doctrinam juris etiam tum sacri, tum civilis scientiam adjungeret. Cujus quidem scientiæ majores ejus peritissimi exstiterunt, in primisque Carolus ille Maz-

zolinius proavus ejus, qui cum jus dixisset et Menœcii, et Lucæ, et in Æmilia, et Ferrariæ, ab Senatu etiam Bononiensi Triumvir litibus judicandis factus, doctrinæ, integritatisque apud nos exempla præbuit luculentissima. Verum enimvero haud diutius sibi suis se litteris abdere, otiarique datum est. Vix enim erat ab ea, quam diximus, conversione rerum elapsus annus, quum a Mercuriali Prato, Episcopo Foroliviensium, propinquo suo, quippe qui hominis et doctrinam, et prudentiam, et sollertiam probe noverat, Curiæ Mariæ Villanovanæ Procurione præfectus est. Huic vero Curiæ postquam non unum, aut alterum, sed septem annos præfuisset, quum Canonici Theologi munus in patria vacasset, ipse nihil tale cogitans, ad illud obeundum, propter opinionem virtutis accersitus, plenissimis suffragiis est adlectus. Quod sane illi eo contigit et laudabilius, et honorificentius, quod ad eam dignitatem nec generis claritas, nec favor, aut gratia quempiam advehat, sed doctrina, et virtus; neque adipisci illam quis possit, qui experimentis legitimis, et jure sancitis se se non subjecerit; neque se se subjecerit modo, sed ita ex iis evaserit, ut cum

multi ad eam aspirare soleant, unus ipse omnibus antecellere judicetur. Eam vero dignitatem qui fuerit consecutus, non illi a studiis abesse licet, sed contra in iis etiam atque etiam versari oportet, utpote statis diebus coram universo Canonicorum Collegio, iisque omnibus, qui Templo apparent, immo eunctis quotquot adsunt, adesse autem quisque e populo potest, sermones ad sacrorum librorum interpretationem, explanationemque spectantes, de scripto recitet. Quanta porro ejus apte exercendi muneris difficultas est, ac magnitudo! Nihil est in philosophia subtile, nihil in sacra, profanâque historia reconditum, nihil in eloquentia magnificum, non denique rerum, non verborum, non hominum, non temporum notitia est ulla, quæ fugere illum debeat vel facta, et eventa enarrantem, vel interpretum sententias, conjecturasque exponentem, vel judicia interserentem sua, vel aliorum commenta refutantem. Iam vero quâ illum laude id præstitisse putabimus, qui non modo tot annos, ut diximus, in divinarum rerum scientia tradenda impenderit, sed jamdudum fuerit dignissimus habitus, qui et judex clericis probandis crearetur, et iis doc-

tissimis, gravissimisque annumeraretur viris, qui cum de auctoribus rerum novarum, et doctrinæ veteris desertoribus coercendis ageretur, de quaque consultatione responderent. Quid quod cum Episcopus e vita migravisset, accidisset autem (quæ tum erant tempora) ut qui in vicem sacram electus fuerat, de die in diem a munere capessendo abstineret, is ad plures menses Canonicorum Dunmvir primus Ecclesiam administravit! Laudum hic me copia deterret, et temporis ad dicendum dati brevitas cogit, ut ne longius in iis immorer, in quibus versari late possit, atque exsultare oratio. Sed nihil opus est verbis, cum facta satis de se ipsa loquantur, et prædicent. Magna de hoc viro intellexistis, Auditores; intelligetis vero etiam majora. Etenim peramplum quidem est, atque ut laboris, ita et honoris, decorisque plenum Canonici Theologi officium, et munus; non illud tamen extremum, et summum est: cæteris enim in eo Canonicorum Collegio dignitate, amplitudine, auctoritate is antecedit, qui Archipresbyter et nominetur, et sit. At vero cuinam id muneris, quo nihil esset superius, debebatur magis, quam illi viro, qui tot virtutibus,

ornamentisque præcelleret? Iure igitur ille optimo supremum hunc dignitatis gradum tenet, ad quem et suscepti labores, et munera naviter sancteque expleta, et genus omne laudum, atque ornamentorum evexerunt. Maximi vero honoris loco ponendum est ei Collegio præesse, ex quo jam inde a sæculo XIII. Episcopi et in patria, et per Italiam quamplurimi, immo et Cardinales, et Pontificis Maximi Legati ad Imperatorem, omnique virtutum genere clarissimi viri prodierunt. Verum hæc ipsa dignitas splendidior etiam, atque illustrior ut evaderet, optimi sanctissimique Principis PII VII. Pontificis Maximi fecit munificentia, ejusque in præstantes viros singularis, atque egregia voluntas; quandoquidem sibi virtute probatum, acceptumque virum Antistitem Domesticum dixit, atque adeo honorificentissimis insignibus, tituloque præclarissimo nobilitavit. Quo quidem sacratissimi Principis munere cum civitas universa lætata est, quæ illum omni semper observantiâ et suspexit, et coluit, tum Andreas Brattus Episcopus, æquissimus virtutis ejus æstimator, et Canonici præsertim gavisi sunt, non eâ solum de caussâ, quod id honoris, decorisque Collegio suo accesserit;

sed illâ potissimum, quod cum tantum antea de eo viro judicium tulerint, ut eum Duumvirum primum Ecclesiæ Foroliviensi administrandæ creaverint, rei Clericorum corporatorum curandæ præfecerint, Romam ad Pontificem Maximum gratulationis caussa Oratorem legaverint, de eo, inquam, viro judicium tam magnum, tamque præclarum luculentissimo, omniumque gravissimo testimonio confirmatum sit. Cognoscitis jam, et probe perspicitis, Auditores, qualis quantusque sit vir, quem hodie insignibus, titulisque nostris decoremus. Quapropter quis jam dubitet, quin jure ab initio affirmaverim et illud dicenti nunc mihi accidisse, quod nulli antea, et inusitato quodam dicendi genere opus fuisse, cum de illo dicere instituerem? De quo tamen dicere jam desinam; neque enim satis umquam diu de illo dicerem. Quod unum superest, quodque mei muneris est, te, Vir amplissime, juris utriusque Doctorem palam publiceque renuncio: ita vero renuncio, ut quod neque feci adhuc, neque faciam fortasse in posterum, non tam tibi et meo, et universi Collegii nomine de hoc titulo, deque hisce insignibus, quæ a nobis accipis, quam

nobis ipsi, qui eadem tibi conferimus, gratulemur. Etenim, quod verissime dicimus, quantum tibi dignitatis ex illorum decore obvénit, tantumdem tu illis ornamenti ex tua laude reddidisti.

BONONIÆ

EX TYPOGRAPHIA IOSEPHI LVCCHESINII

PERMISSV PRÆSIDVM.

SERMO

HABITVS

IN ARCHIGYMNASIO BONONIENSI

POSTRID. ID. FEBRVAR.

A. MDCCCXVII

VINCENTIO BOTTRIGARIO
ADVOCATO

PHILIPPVS SCHIASSIVS

Ego vero, Bottrigari mi suavissime, diutius rogari non patiar abs te, cui magni nihil (si modo magni quidquam ex me umquam esse possit) negare ausus fuerim, nedum tantillam rem, qualis sermunculus hicce est. Quem propterea quandoquidem petis, eum tibi, quantuluscumque est, libenter do; libentius darem, nisi tantilla, ut dixi, res esset, ac prorsus nihili: ut illam fere me pudeat et scripsisse, et legisse. Ac pudendum quidem multo esset magis, quod de manibus meis exire sinerem. Quamquam si recte existimare velim, quid est, cur me pudeat, quod verum sit, fateri, idque etiam,

ut omnes noscant, efficere: omni scilicet me eloquentiâ carere? Nimirum intelligent homines et ipsum me, qui sim, noscere, et id palam facere non erubescere; quæ quidem honesta res est, immo et laudis cujusdam loco ponenda. Illud quoque intelligent, ex eo quod argumento mihi ad scribendum dato satis apte non responderim, ne minimum quidem ejus magnitudini, dignitatique esse detrahendum. Quare nihil jam esse video, cur petenti tibi id negem, quod dandum esset vel non petenti. Id tamen dum tibi do, eâ quidem de caussâ existimes velim abs me dari, ut desiderio tuo obsecundem. Vix enim queo dicere, quam gratum, jucundumque mihi sit, tibi quibuscumque in rebus possum, morem gerere. Vale, meque, uti facis, amare perge.

Si fuit umquam tempus ullum, Collegæ præstantissimi, Auditores humanissimi, quo magnam dicendi vim, atque copiam mihi exoptandam intelligerem, id nunc maxime esse sentio de viris talibus, quales hic adesse videtis, dicturus. Sed illud item sentio, ac vehementer doleo, quo majori me præditum eloquentiâ opus esset, eo etiam carere magis. Etsi enim non diffiteor, cum adolescentulus essem, atque ad ea studia incitarer, quibus prima ætas informari solet, politioribus me litteris non mediocrem navasse operam, id tamen fateri debeo, in iis meum pro viribus exercentem ingenium, ac num aliquid in eo genere possem conantem, naturam ipsam (ne omnem in me culpam transferam) naturam me, inquam, ipsam defecisse; ut inopiam dicendi meam dum animadverterem, studiumque cæteroqui in Rhetoricæ præceptis abs me positum considerarem, mihi ipse sæpe dixerim: an non ego Rhetoricæ illi studuisse

videar, quam ajebat Tullius ita Chrysippum scripsisse, ut si quis obmutescere concupierit, nihil aliud legat? Ætate autem progrediente cum ad graviora me studia convertissem, ac philosophiæ primum, tum divinarum rerum scientiæ, jurisprudentiæ quoque animum adjunxissem, ab omni suavitate humanitatis, atque a mansuetioribus Musis, quibus tantopere homines delectantur, illarum me prohibuit, ac prorsus repulit severitas, asperitasque disciplinarum. Quid vero dicam de eo, in quem præter omnem exspectationem me abreptum vidi, antiquarum rerum investigandarum campum tenebris undecumque obsitum, salebrisque plenissimum? Nimirum in exesa monumenta, in unius litterulæ dimidiata, ac fugientia vestigia, in unum apicem horas solidas, ac prope dies perdere, mentem magis magisque obtundere, oculos terere qui debeat, an is eloquendi vim, atque ubertatem assequatur, cum si quis fuerit aliquando adeptus, vix possit, aut ne vix quidem retinere? Accedit frigescentis jam, cunctosque penitus igniculos extinguentis ætatis inclinatio; ut de omni dicendi laude adipiscenda sit mihi prorsus desperandum. Atqui

si quando alias, ut supra dixi, nunc certe in hoc sapientiæ domicilio, atque hos viros amplissimâ aucturum dignitate, eorumque virtutum, ac laudum præconio exornaturum, eloquentissimum esse me oporteret. Quis enim tulerit jejune, atque exiliter dicentem de Aloysio Bottrigario, deque Ioachimo Tamburinio Archipresbytero? Nam Bottrigarium quidem, ut de hoc prius loquar, nominare nemo possit, quin vetustissimæ ejus gentis innumera propemodum, ac præclarissima non modo in jurisprudentiam, sed in singulas quasque disciplinas, artesque optimas, immo vero in patriam merita animo statim obversentur, atque exponi postulent: exponi autem sine eximia quadam eloquentia non debent. Quamquam si hæc missa fecero, illâ me tueri excusatione potero, quod de illis sin minus pro dignitate, aliqua tamen ratione ex hoc loco alias dixerim, cum Vincentium Bottrigarium Advocatum, Aloysii hujus fratrem, mei amantissimum, insignibus nostris decoravi. Sed præteriri nullo modo debent, quæ virum hunce non aliunde adscitæ, sed propriæ exornant, virtutes, et laudes. Iam vero et legum scientiam non paucorum annorum studio com-

paratam, et rerum forensium usum via, et ratione acquisitum, et publica munera suscepta, eaque tantâ vigilantiæ, sedulitatis, abstinentiæ laude expleta, ut cum is Irenarcha decennio ante electus fuerit, idque officii obierit et Montesii, et Tossignani, et Castri Bononiensis, Iudex quoque ad Pradurum, et Saxum sit dictus, modo vero etiam ad Porrectam Gubernator renunciatus, quî ego tam multa commemorem, quin verear, ne si illa vix attigerim, atque orationis ubertate, ornamentisque complexus non fuerim, in justissimas reprehensiones incidam, quod dignissimum hominem, merentissimumque omni laudatione spoliaverim? Et tamen mea me dicendi jejunitas, et siccitas cogit, ut conticescam: quâ quidem dum cogor ut de Bottrigario conticescam, eâdem et cogor ut conticescam de Tamburinio. Quamquam enim de ejus ingenio, de doctrina, de integritate, de salutis sempiternæ hominum studio, quæ maxima, ac prope singularia in eo sunt, dicere prætermiserim, iis tamen rebus ille adfuit, quæ si narrentur, copiosissimam, ornatissimamque, omnibusque eloquentiæ luminibus refertissimam postulent orationem. Hic enim

in Gallias præclarissimi Antistitis Francisci Bertazzolii Seleuciensium Archiepiscopi amicus, et comes eo tempore profectus est, quo christiana respublica tanto in periculo versabatur, ut dubitari possit, an umquam magis. Pontifex Maximus non modo e sede exturbatus sua, sed in arctissima custodia plures jam annos retentus, ac prope in carcerem detrusus: Episcoporum alii extorres, relegati, huc illuc devecti, summoque contemptui, et ludibrio habiti; alii in majus etiam discrimen adducti, cum illud ab iis peteretur, quod vel concedere, vel negare periculosissimum esset, exitusque haberet exitiales. Interea quâ minas jactare, pericula intendere, formidines opponere; quâ pacis, concordiæque speciem, ac veluti blandimenta insinuare, quibus et sopiretur virtus, et conniveret. Hinc illa animorum contentio, sollicitudo, anxietas. Deus immortalis! In quæ tempora incideramus! Contremuit christianus orbis, exhorruitque; cum repente tantarum turbarum auctor irrita ipse sua vidit consilia, odio, rabieque exanduit, iram, et virus omne in innocentes evomuit, quorum fide, constantia, fortitudine stetit christiana res, religio triumphavit.

Hic Tamburinii ipsius mihi velim eloquentiam dari, quâ ille excellit, quam non paucos annos docuit, qua et publice, et privatim quotidie utitur. Quâ tamen cum me penitus expertem sentiam, conticescam, ut dixi, necesse est; idque unice præstem, quod mihi præstandum est, quodque præstari sine eloquentia potest. Vos nimirum, spectatissimi Viri, jurisprudentiæ laureâ exorno; quam quidem gestantes vos quicumque viderint, eam et virtute vestra promeritam, et jure optimo vobis delatam vel sine ulla oratione mea judicabunt.

BONONIÆ

EX TYPOGRAPHIA IOSEPHI LVCCHESINII

PERMISSV PRÆSIDVM.

SERMO

HABITVS

IN ARCHIGYMNASIO BONONIENSI

III. CAL. MART.

A. MDCCCXVII

16°

IOSEPHO VENTVROLIO
DOCTORI MATHESEOS
RECTORI ARCHIGYMNASII

PHILIPPVS SCHIASSIVS

Cum sermunculorum, quos in Archigymnasio adolescentes nostros laureâ exornaturus habui, edidissem non paucos, eosque vel observantiæ, vel amicitiæ nomine nonnullis inscripsissem, te quidem, Venturoli præclarissime, et carissime, animo jamdudum respiciebam, cui eorum aliquem sisterem utroque nomine. Sedenim nullus mihi adhuc præsto fuerat, qui non dicam elegantiâ (ejusmodi enim futurus umquam est nullus) sed argumenti genere quidpiam haberet, cur tibi inscriberetur. Iam vero quem hactenus desideravi, nunc tandem aliquando

nactus mihi videor, eum nimirum, quem hoc ipso mane recitavi. Is enim cum eorum non pauca attingat, quæ nostrorum studiorum disciplinam spectant, ad quemnam deferri magis par fuerit, quam ad eum virum, qui Archigymnasio præest, quique inter multa, et magna, quorum procurationem sibi creditam explet, id etiam efficit auctoritate, virtute, exemplo, ut ipsorum ratio studiorum sarta tecta servetur? Hunc igitur sermunculum libenti animo, ac veluti diuturni voti compos factus tibi sisto; quem tu quidem, quantuluscumque is est, habeas velim quasi testem cum maximæ erga te meæ de ingentibus, ac plane singularibus ingenii, doctrinæque tuæ laudibus existimationis, tum ejus, quæ vel a prima ætate orta magis magisque crevit, mutuæ, jucundissimæque inter nos benevolentiæ. Cura, ut valeas.

Etsi numquam dubitandum fuit, Collegæ præstantissimi, Auditores genere, litterisque spectatissimi, quin doctrinæ præmia, atque ornamenta a majoribns constituta cum suapte natura, tum hominum judicio plurimi facienda sint, idipsum tamen Principis optimi PII VII. Pontificis Maximi voluntate, ac decreto magis magisque declaratum modo esse, confirmatumque intelleximus. Paucis enim abhinc mensibus, quod nemo ignorat, sancitum providentissimi Principis lege est, ut ne quis ad jus dicendum, remque publicam gubernandam accedat, qui jurisprudentiæ lauream non fuerit per legitima experimenta, deque sapientum virorum sententia consecutus. Cum autem certum sit præstantem doctrinam vel sine ullis titulis, atque insignibus stare posse, hos tamen titulos, atque hæc insignia si pru-

dentissimo legislatoris præscripto eos deferre opus est, qui publica sunt munera inituri, quis non videat, quanti fieri, quantoque in honore haberi hæc sapientiæ décora oporteat? At illud etiam persuasum cuique, perspectumque esse debet, non ea sic deferri, ut splendorem dumtaxat augeant dignitatis, sed eâ potissimum de caussâ, ut gravissima, ac firmissima scientiæ, virtutisque argumenta et habeantur, et sint. Quid enim tam turpe, tamque exitiosum esse posset, quam si qui aut illa surripuerint immeriti maximo cum suorummet ipsorum dedecore, aut per illa ad honores obrepserint inepti non sine magno publicæ, privatæque rei detrimento? Quod quidem ne umquam contingat, nobis etiam atque etiam providendum esse cognoscimus. Quare et multa, et magna ab iis requirimus, qui ad hunc honoris, dignitatisque gradum contenderint. Mitto, quod latinis, italicisque, græcis etiam litteris dedisse eos operam necesse sit; mitto, quod et in dialecticis rebus, et in geometricis, et in physicis, et in metaphysicis versatos esse oporteat, atque ita quidem, ut non ante ad jurisprudentiæ studia aditum sibi patefactum videant, quam de ipsorum in iis

sive artibus, sive disciplinis scientiâ, progressuque rite constiterit. At vero cum demum jnrisprudentiæ licuerit ingredi curriculum, non unum, aut alterum, sed tres ipsos saltem annos ad eam arripiendam toto pectore incumbant necesse est; quidque jure naturæ, et gentium contineatur, quid Iustiniani tradant Institutiones, quid Ecclesiæ sanctiones jubeant, probe addiscant: tum quæ civilium legum vis, quæ criminum, et pœnarum natura sit, apprime teneant; quod denique pretium rerum, quæ pecuniæ ratio, quæ commercii jura obtineant, nefas iis sit ignorare. Singulis porro annis singularum, ad quas animum appulerint, doctrinarum dandum ab unoquoque specimen est, idque aleæ, periculique plenum, cum quid illud sit, quod cadere in quæstionem debeat, provideri nullo modo possit, quippe quia id sortito ducatur, de quo sit disputandum; quod quidem specimen si qui vel dare neglexerint, vel minus feliciter dederint, totidem annorum studio superaddito eorum vel negligentia, vel inscitia est repensanda. Hæc nimirnm studiorum disciplina a sapientissimis viris constituta apud nos viget in præsens; hanc ineant oportet

quicumque in nostra quasi palæstra doctrinæ palmam referre concupierint. Verum et illud curandum est nobis, non modo ut ne quempiam sine scientia dimittamus, sed ut tales omnino jurisconsultos informemus, quales maxime eos esse oportere Tullius affirmabat: qui nimirum juris civilis rationem nusquam ab æquitate sejungant: qui ingenium, labores, fidem suam populo promptam, expositamque præbeant: qui ita justi, ac boni viri sint, ut naturâ, non disciplinâ videantur consulti: ita periti, ac prudentes, ut ex jure civili non scientia solum quædam, verum etiam bonitas nata videatur. Quanti itaque id est momenti, ac ponderis, quod laboribus, fideique nostræ commissum est! Et nihilominus qui e nostra disciplina discedunt, quantumvis omni doctrinæ, virtutisque laude cumulati discedant, non illico tamen vel caussas agere in foro, vel jus dicere, vel publica quævis munera obire possunt, sed non paucos annos adniti insuper debent animo, ac labore contendere, ut perceptarum rerum usum quoque, atque exercitationem adipiscantur; seque tandem adeptos esse novis editis de se experimentis probent necesse est. Quorsum vero ego tam multa de

his? Nempe ut quisque intelligat, quantâ is laude dignus habendus sit, si qui tot tantisque oneribus, et quasi vinculis exemptus jure fuerit, quibus tamen reliqui ut omnes afficerentur, atque obstringerentur, recte sapienterque majores consultum esse voluerunt. Enimvero si qui nobili, atque excelso loco nati cum fuerint, liberalissime iidem educati, omnique disciplinarum, atque artium genere instituti, tum avitis exemplis ad gloriam excitati, munera amplissima exercuerint, remque publicam administraverint, jam Procerum familiaritate utantur, jam Principis gratia inclareant, an ii legibus, quæ in adolescentes latæ sunt, iisdem teneri debere judicentur? Omnino qui fuerint hujusmodi, ii lauream multo ante meruisse, nec tam ipsi ab laurea exornari, quam lauream exornare ipsam dicendi sunt. Quis autem vel me nunc tacente non sentiat, quam vere idipsum, quamque jure optimo de spectatissimo Viro, qui se nobis hodierno die insignibus, titulisque nostris honestandum sistit, Cajetano Battaglino Comite prædicari possit? Etenim si generis ejus originem quærimus, ortus is gente est apud Venetos antiquissima, ac domi forisque nobi-

lissima ab avis, et majoribus; quorum quidem alii a remotissimis temporibus ad hanc usque ætatem gravissimis reipublicæ muneribus tum alibi, tum Veronæ præsertim perfuncti sunt, alii jam inde a sæculo decimo quarto cum Ariminum commigrassent, connubiis splendidissimis, ac Malatestiana potissimum cognatione avitam nobilitatem mirabiliter adauxerunt. Quid quod ex ea gente cum viri doctrina, ac religione spectatissimi et Episcopi, et Antistites complures prodierunt, tum ille exstitit Gotius ex Patriarcha Constantinopolitano Cardinalis a Benedicto XII. Pontifice Maximo factus, idemque et rebus Avenione præclare gestis, et ingenti pecuniæ vi in patria sacris ædibus exstruendis, omnique cultu exornandis, locupletandisque effusâ, præcipue vero in Petrum Arragonium, Siciliæ regnum posthabitis cum Ecclesia conventis pactionibus occupantem, pontificia legatione clarissimus? Quem quidem eximium, præstantissimumque virum eo libentius commemoravi, quod ad cæteras laudes eam etiam adjunxerit, ut sacram, civilemque jurisprudentiam professus sit, eamdemque in posteros quasi hæreditate transmisisse videatur. Quamquam fecerunt

hujus, qui nobis coram adest, Viri ingenium, atque studia, ut esset ea sibi per se parta laus, quam prope habuerat hæreditariam. Scilicet is a prima ætate cum Romæ inter Collegii Nazareni Alumnos fuisset connumeratus, sic est a philosophia, a jure utroque, ab historia, a disciplinis prope omnibus instructus, ut brevi is evaserit, qui ad publicam rem gerendam aptissimus haberetur. Iam enim hoc ineunte sæculo in Curatores nobilissimæ ad Rubiconem regionis primum cooptatus est, tum Municipio Ariminensi temporibus utique difficillimis præpositus, nunc vero a PIO VII. Pontifice Maximo, Principe providentissimo, sanctissimoque, Luci in Ferrariensi territorio Gubernator renunciatus. Quod quidem munus nuper illi ab optimo, sapientissimoque Pontifice delatum cum ejus virtutis præstantiam luculentissime testatur, tum honorificentissimam, jucundissimamque habet opportunitatem. Ejus enim provinciæ regundæ Pontificis Maximi legatione fungitur Thomas Arezzus Cardinalis, qui Battaglinum hunçce habuit et studiorum socium, et in eodem Collegio contubernalem, ejusque amicitiam a teneris annis initam jucundissime colit in dies magis,

hominisque consuetudine adeo familiariter utitur, ut paullo ánte, cum Mutinam profectus Ferrariam reversurus Bononiæ diversatus esset, primo ipso, quo hic substitit, die, ad se illico invitatum convivio eum liberalissimo exceperit. Quid plura? Is ipse Arezzus Cardinalis Battaglinum nobis propemodum tradidit, quem jurisprudentiæ laureâ decoraremus. Et quisquam erit, qui virum talem non omni legum nostrarum pondere, ac severitate liberandum arbitretur? Et tamen plura is doctrinæ experimenta præbuit; sed ita præbuit, quemadmodum præbere par fuerat id scientiæ, dignitatisque virum; eum virum, qui et rerum omnium sive ad jus dicendum, sive ad publica officia administranda pertinentium experientissimus, et expletis muneribus, Primorum commendatione, nobilitate generis, favore, et gratia Principis probatissimus esset, laudatissimusque. Quid igitur morer amplius? Quid te, Vir spectatissime, diutius detineam? Quæ tibi jampridem debita est, hac te laureâ exornatum declaro. Sed idem ipse ajo, confirmoque (quod fateri, qui te noscunt, debent omnes) quando lauream tu, ut Principis jussa faceres, retulisti, id usuvenisse, quod

ab initio affirmavi, ut veteri, quae de nostris doctrinae insignibus, titulisque semper est habita, hominum existimationi ex recenti Principis decreto decus novum accessisse videatur.

BONONIÆ

EX TYPOGRAPHIA IOSEPHI LVCCHESINII

PERMISSV PRÆSIDVM.

SERMO

HABITVS

IN ARCHIGYMNASIO BONONIENSI

KAL. APRILIS.

A. MDCCCXVII

17.

IOANNI CONTRIO
DOCTORI REI AGRARIÆ
IN ARCHIGYMNASIO BONONIENSI

PHILIPPVS SCHIASSIVS

Animadvertisti, opinor, mi Contri, cum sermunculos, in Archigymnasio abs me habitos, vulgatos legeris, eorum alios aliis me nuncupavisse, idque cum facerem, tum rerum, tum personarum aptam me, congruentemque rationem habuisse. Earum enim nuncupationum caussas modo affinitas, modo amicitia, modo observantia, modo argumenti natura præstiterunt. Quod cum ita sit, vides jam, si mihi ipse constare velim, nemini potius quam tibi, sermunculum huncce tibi inscribere me debere. Quarum enim caussa-

rum vel una satis fuit, et esse debuit, cur aliis sermunculos inscriberem meos, earum omnium cumulus, ut hunc tibi sistam, omnino cogit. Tu enim affinis meus es, tu mihi amicissimus, carissimusque; te etiam et doctrinâ, et probitate magni facio; mentio vero Philippi Re, quœ præcipua sermonis mei pars est, sic ad te pertinet, ut nulli magis. Tu enim is es, quem ille, uti in eo sermone dixi, alterum se nominabat. Quare sic illum ad te defero, ut nequeam non deferre. Oportet igitur modestiam tuam (si modo tantillâ hac re commoveri modestia tua possit) id ferre patienter. Cura, ut valeas, meque ama.

Cum mihi jampridem constituissem, Collegæ præstantissimi, Auditores humanissimi, ut quoties ex hoc loco doctrinæ præmia adolescentibus deferrem, eximium quempiam Archigymnasii nostri virum laudibus extollerem, quo iter ad gloriam, quadam quasi face elata, commonstrarem, intelligebam enimvero tam uberem meis me sermonibus suffecisse materiem, nullo umquam ut tempore esset defutura. Ac satis quidem superque argumenti præbebant tum qui vetustissimis ætatibus, tum qui patrum memoriâ floruerunt præstantes viri; nihil omnino necesse erat, ut recentes jacturæ dicendi copiam suppeditarent: verum nimium supra, quam opus esset, uti nostis, suppeditarunt. Præterea quas annis proximis superioribus fecimus et plures, et graves virorum jacturas clarissimorum; at hoc ipso anno, quem vix, ut ita dicam, inchoavimus, quot qualesque viros mors nobis abripuit! Iam enim ad idus januarias Gasparem Vtinium

sublatum luximus; tum paucis abhinc diebus Ioannem Baptistam Morandium amisimus: modo etiam Philippum Re morte extinctum fere subitâ nunciatum est; quem quidem etsi, Regium Lepidi patriam nactum, civem appellare nostrum minime poteramus, tum vero accitu illo in Mutinense Archigymnasium honorificentissimo amiseramus, eum tamen nostrum quodammodo habebamus, quippe qui et annos plures nobiscum una edocens insudaverit, et Archigymnasii nostri ornamentum, ac lumen exstiterit præclarissimum. Ac de Vttinio, uti facile memineritis, sermonem apud vos habui: de Morandio, deque Re ut habeam, suscepta mihi dicendi ratio requirit; habebo autem, ut soleo: nimirum haud ego de illis perfectam, omnibusque et numeris, et partibus expletam laudationem contexam, sed pauca ex plurimis attingam, quæ de singulari utriusque doctrina, ac virtute prædicari possent, eaque potissimum, quæ ad Archigymnasium nostrum, immo vero ad rerum antiquarum Museum, atque ad Archæologiæ studia pertinent, ut quisque sumus in res nostras animati, commemorabo: quod eo perficiam libentius, quod hæc minus fortasse no-

ta sunt, cum cætera nemini sint non notissima. Quem enim lateat quæ Morandii fuerit iu sacris disciplinis, quæ fuerit Re in disciplinâ agrariâ præstantia? Quis nesciat, quo studio, quâque sollertiâ uterque discipulos instituerit suos, qualesque conformaverit? Quantâ mentis acie, quantâ doctrinæ vi, quantâ eruditione alter divinis de rebus, deque Ecclesiæ monumentis, alter de cultura agrorum, de morbis, universâque historiâ plantarum, de rebus omnibus ad rem agrariam spectantibus tractaverit! Quantus demum utriusque labor, quanta industria exstiterit non modo in suis excogitandis, proferendisque, verum etiam in alienis evolvendis, illustrandis, emittendis! Quam enim scite, quantâque curâ, et diligentiâ alter quidem Ludovici Beccatelli Episcopi Ragusinorum, viri scientissimi excultissimique, scripta prope innumerabilia, lucubrationesque tum copia, tum varietate doctrinarum, litterarumque præstantissimas ex tenebris eruit, in ordinem redegit, bono in lumine collocavit, in vulgus edidit! alter vero et Petri Crescentii Agronomorum facile principis elogium, summo ingenio, summâque arte, et scientiâ elaboratum, conscripsit, et Vlys-

sem Aldrovandum, et Marcellum Malpighium, aliosque bononienses bene multos laudibus exornavit, immo cunctorum, quotquot ætate nostra de re agraria scripserunt, cogitata sapienter, præclare iuventa in annales veluti digessit, et protulit! Atque ex Morandii quidem laboribus, et curis, ex ejusque ingenio, doctrinâque uberiores fructus cepissemus, si vel per valetudinem, vel per ætatem, vel potius per temporum conditionem suis sibi studiis indulgere diutius licuisset. Multo quidem felicior exstitit Re; qui cum ætate florenti, tum optima usus valetudine potuit toto pectore, omnibusque viribus, quantum libuit, ad ea studia incumbere, quæ sibi essent jucundissima, quæque his maxime temporibus publicâ etiam auctoritate, providentiâque provehérentur, foverenturque. Igitur id moliri, idque perficere illi datum est, quod nemini antea ne in mentem quidem cecidisset, ut Hortum Agrarium in studiosorum adolescentium commodum, atque institutionem excitaret, et conderet; sic ut quæ docendo tradidisset de satione, de plantis, de universa rei agrariæ ratione, experientiâ demonstraret; tum utensilium, atque instrumentorum quorumcum-

sque non modo, uti in scholis fit, exempla ob oculos poneret, sed eorum etiam usum, utilitatemque re ipsa, nedum verbis, edoceret; in eo quoque inter cæteros felix, quod cum a Duce Francisco IIII. Atestino Principe suo in Mutinense, ut dixi, Archigymnasium devocatus hinc discedere debuisset, successorem eum sibi datum viderit, quem idem ipse, si sua fuisset optio, selegisset; quem nimirum e multis peramantissime erudiverat, de quo gloriari consuevit, quem se prope alterum appellabat; ut cum eum nobis relinqueret, non omnino a nobis divelli, sed in eo idem ipse propemodum apud nos manere sibi videretur. Sed quid ego in istis immoror, a quibus prædixeram fore, ut abstinerem, quippe quæ cunctis apertissima? Ad illa jam venio, de quibus me dicturum sum pollicitus; quæ scilicet ad rem antiquariam, nostrumque Museum spectant. De quo quidem miretur fortasse quispiam: quamquam in viris doctis quidquid ad doctrinam pertinet, nihil est cur miremur. Quando tamen id minime palam est omnibus, propterea haud reticendum. Mitto, quod uterque mecum identidem de antiquitatibus sermonem injecerit: id enim

fere quisque, qui mecum loquitur, facit. Sed non omnes id faciunt (neque vero facere omnes possunt) quod et Morandius, et Re fecerunt. Etenim Morandius monumentum longe præstans Museo nostro donum dedit, multaque ut ab aliis darentur, omni studio curavit. Primum enim cum ad eam villam, quam Rastellinum vocant, rusticaretur, jacentemque ad ejus villæ ædem sacram columnæ milliariæ partem, quæ Maxentii titulos præferebat, quæque ad Viam Æmiliam haud valde dissitam steterat, vidisset, rem minime spernendam nactus, ab iis statim, qui loco præerant, impetravit, suisque impensis Bononiam devectam præclaro munere cæteris Musei monumentis adjungi voluit: tum vero cum ex me cognovisset, ad amnem Claternam, quo loco satis nobile, ac pervetustum oppidum cognomen olim fuit, nunc ager ex dirutis ædificiis paullo eminentior aratro colitur, pavimentum operis vermiculati elegantissimi inter arandum detectum esse, nihil non egit Morandius, ut eorum, quæ illic loci effodiuntur, effodiuntur autem et plura, et omnis prope generis monumenta, numismata, gemmæ, sigilla, icunculæ, armillæ, tesseræ, anuli, vasa cineraria,

sepulcrorum reliquiæ, alia sexcenta, eorum, inquam, partem aliquam qui fundos illos, in quibus eæ res inveniuntur, possident, ad Museum deferri paterentur. Hæc scilicet Morandius. Iam vero Re quamvis de suo antiqui nihil (nihil enim sibi sors obtulit) addiderit Museo, effecit tamen, ut ab eo tempore, ex quo ille Archigymnasio præfuit, quidquid monumentorum de pecunia publica additum est, ei quodammodo deberemus. Ante enim tempus illud pecuniæ nihil erat Museo certâ summâ attributum; sed si quid coemendum occurrisset, deque pretio esset conventum, tum litteras ad Præfectos studiorum regundorum scribere, qui rem cognoscerent, probarentque; deinde pecuniam decernerent, solvendamque mandarent: demum (quod caput erat) pecunia ipsa vel ab ærario, vel a publicanis exigi oportebat. Quare dum hæc fiunt (quæ quandoque etiam non fiebant) dies permulti, immo et menses præterlabuntur. Quid vero ex tam longa, difficultatisque plena cunctatione accidere necesse erat? Nimirum diuturnæ exspectationis pertæsi qui venderent, alio abeuntes, monumenta aliis vendere, qui cum in promptu solvendam pecuniam haberent,

remque conficere ipsi nullâ morâ possent, monumenta nobis adimebant, multoque minoris sibi comparabant. Quæ cum Re probe perspexisset, essetque tum in omne genus studiorum, tum in nostrum optime animatus, certam Museo pecuniam quotannis assignari sategit. Mirum vero ex quo ea pecunia assignata est, quantum ornamentorum Museo accesserit! Iam enim ægyptiarum, jam græcarum, jam romanarum rerum supellex incredibiliter adaucta. Simulacris ex lapide tum numidico, tum lydio perraris, gemmis græci operis pulcherrimi, diptychis consularibus omnium antiquissimis, numismatibus vero quamplurimis tum populorum, et urbium, tum coloniarum, tum gentium, familiarumque romanarum, atque Imperatorum, et Cæsarum quâ aureis, quâ argenteis, quâ æneis collectio vetus longe locuples magnopere nobilitata! Omnino si Archigymnasii, si Vrbis splendori Museum nostrum in dies magis respondet, si juventuti ad perdiscendum præsidio, si doctis quibusque, si incolis, advenisque tum oblectamento, tum etiam admirationi est, id enimvero providentissimo illi de adsignata pecunia decreto, quod Philippus Re eliciendum curavit,

maximam partem acceptum referri debere fatendum est. Maximam, inquam, partem; neque enim quidquam laudis liberalitati vel civium, vel exterorum detraham, qui munera et plurima, et nobilissima largiti sunt semper, et largiuntur in dies. Duobus scilicet ex fontibus Musei supellex adcrescit, cumulaturque: liberalitate privatorum, et pecunia publica. At vero in eorum altero Morandius, in altero Re pro virili parte eminuerunt. Quorum sane tam præclara in Museum nostrum promerita minime erant prætereunda, abs me præsertim, cui Musei præfectura est demandata; qui quidem cum id laudum genus deberi ipsis noscerem, quod nondum erat fortasse satis patefactum, patefeci perlibenter ad illorum justam quamdam remunerationem, prædicationemque meritorum. Sed de his viris, eorumque virtutum præstantia latius alii, pleniusque laudationes pangent, ex quibus ipsorum excellentia, dignitasque quasi lumen aliquod clarissimum, in quod omnes intueantur, elucescet. Doleo ego quidem, ac vehementer doleo, id neque præstitisse me, neque ut præstarem, mihi per vires licuisse. Quod si præstitissem, tum enimvero exempla, quæ imi-

taremini, optimi Iuvenes, absolutissima habuissetis. Quamquam si ingenia vestra, si studia, si sollertiam, si vero etiam præclaram indolem, atque ad sanctissimam honestatem totius vitæ accommodatam rationem vestram specto, cum nihil alienis vos exemplis indigere videam, profecto, quod de summis illis, eximiisque viris satis apte dicere non valuerim, minus mihi dolendum intelligo. Quapropter pergite jam, Iuvenes lectissimi (id enim vobis unum reliquum mihi est dicere) quandoquidem estis lauream istam, quâ vos exornatos declaro, optimo jure consequuti, pergite, inquam, uti instituistis.

BONONIÆ

EX TYPOGRAPHIA IOSEPHI LVCCHESINII

PERMISSV PRÆSIDVM.

SERMO

HABITVS

IN ARCHIGYMNASIO BONONIENSI

XV. KAL. IVLIAS

A. MDCCCXVII

MARIÆ DALLE DONNE
DOCTRICI PHILOSOPHIÆ, ET MEDICINÆ

PHILIPPVS SCHIASSIVS

Vt primum mihi nunciatum est de morte Clotildæ Tambroniæ, quo sim dolore affectus, nihil opus est dicere; tu quidem facile tibi ipsa persuadebis. Feminà enim doctissimà, omnique virtutum genere clarissimà, quà gloriari patria jure poterat, orbati sumus. Sed idem etiam verissime tibi affirmare possum, te mihi statim occurrisse, quà superstite ejus jacturam minus doleremus. Tu enim doctrinæ, virtutisque omne genus laude (quod omnes agnoscunt, et prædicant, ipseque sub extremum sermunculi abs me in Archigymnasio nuper habiti memoravi) tu, inquam, Tambroniæ simillima. Quare et te

patria jure gloriatur. Iam vero eum sermunculum illum, quo Tambroniæ laudes attigi, in lucem emittere placeat, placet item eumdem tibi inscribere; quod tanta, quam dixi, virtutum, laudumque utriusque prope æqualitas exposcere videatur. Accedit summa illa, quæ tibi cum Tambronia fuit, amoris conjunctio, et consuetudo plane quotidiana: quando enim omnia amicis communia esse debent, hic ipse sermunculus non magis ad Tambroniam, quam ad te pertinet. Addo etiam (quo vel uno consilii mei ratio satis superque constaret) observantiam in te meam singularem; ut ejus significationem aliquam palam fieri exoptem, eamque cum observantiæ in Tambroniam meæ significatione conjunctam. Tambroniam credo ipsam, si loqui posset, id consilii probaret, laudaretque. Tu item idipsum ut probes, laudesque, etiam atque etiam abs te, vehementerque postulo. Cura, ut valeas non tam tuo bono, quam patriæ decori, atque ornamento.

Instituenti mihi hodierna die dicere, Collegæ præstantissimi, lectissimique Auditores, nihil jam opus esse video, qua de re sim dicturus, exordio vos aliquo præmonere. Vestrum enim esse arbitror neminem, qui abs me non exspectet, vel potius requirat, ut quando clarissimos, quos hoc anno amisimus, viros ex hoc loco laudavi, idipsum præstem de Clotilda Tambronia, quæ superioribus diebus summo universæ civitatis mœrore, nedum nostro, sublata est. At vero timeo equidem vehementer, id facere cum aggredior, exspectationi ut vestræ respondeam. Cum enim perdifficile semper sit exspectationi respondere, nunc enimvero sentio esse difficillimum. Laudanda enim mihi est femina rarissima, quæ laudari pro dignitate ne ab eloquentissimo quidem viro satis umquam posse videatur. Quamquam si recte existimem, nemo possit abs me laudationem omnibus expletam numeris postulare:

neque enim ejusmodi de quopiam sum unquam aggressus; sed quod hactenus de reliquis feci, ut de Tambronia item faciam, id quidem jure abs me quisque postulet, ego nimirum omni studio conabor. Igitur quod in more fere meo est positum, ea commemorabo potissimum, quæ vel minus nota sunt, vel si omnium sermone in præsens celebrantur, timendum est tamen, ne diuturnitate temporis de hominum memoria delabantur. Ac primum quidem quæ ejus fuerit linguæ græcæ addiscendæ, in qua tantopere excelluit, occasio, meminisse præstabit, tum quod præclarum est nosse, ex quibus initiis tantam sibi pepererit laudem, tum quod ex his ipsis apparet, quanta ejus fuerit ingenii celeritas, firmitasque memoriæ. Audivi autem jampridem a non paucis, id quod eadem ipsa mihi quondam confirmavit, cum adolescentula matri assidens operi muliebri, uti solebat, vacaret, accidisse, ut vir ille summus Emmanuel Aponte contubernalis ejus in eodem conclavi puerulum domesticum ad græcam linguam erudiret: puerulus autem iterum iterumque de græca nescio qua voce interrogatus cum anceps hæreret, nihilque responde-

ret, factum esse, ut Clotilda de voce illa, quippe quam hesterna die explicatam, quamvis alio intenta, arripuerat, pro puerulo responderit. Quod cum Aponte audivisset, veluti per jocum, atque subridens de voce alia adolesceutulam interrogavit; quæ de ea item cum scite respondisset, alia ille, atque alia deinceps siscitatus est, ejusque responsiones et promptas, et aptas cum esset miratus, ita me, inquit, Deus amet, te ego, Clotilda, græcam linguam edocebo. Atqui ut fusum vertat, ait mater, id opus filiæ est meæ, cui vita prope fuso toleranda est. Tu vero bono, Aponte inquit, sis, mulier, animo: filiam enim sic ego tuam instituam, ut neque ad nendum illi tempus, neque ad discendum desit; utrumque in me recipio. De quo cum mater, utpote quæ tanti viri prudentiam, sagacitatemque noverat, assensisset, Clotildam is erudiendam suscepit. Mirum vero quantum, quamque brevi, Aponte doctore, in eo illa studio profecerit. Fuit enim illi ingenium, ut supra attigi, celerrimum, atque ad artes optimas aptissimum. Itaque græcæ grammatices rudimenta paucis prope diebus edocta, Æsopi jam fabulas, Lucianique dialogos, tum et

Anacreontis odas, et Homeri Iliadem, ut in eo studio tirones solent, interpretari; sedenim eadem eodem tempore latinæ linguæ operam dare, in qua etiam brevi erudita, ad scriptores qua latinos, qua græcos omne genus præstantissimos se vertere, eosque non summis tantum labris attingere, sed haurire penitus, inque succum, et sanguinem derivare, ut ajunt, valuit. Italicos tum etiam scriptores et eruditione, et elegantia claros, poetas vero præsertim, quandoquidem naturâ ad poesim ferebatur, pervolutabat. Neque vero solum legere, sed scriptitare etiam tum versu, tum prosa oratione tam græce, quam italice exorsa est, suaque scribere, ac prope fundere cœpit celeritate mirabili. Quid? quod ad physicas etiam, et mathematicas disciplinas animum applicuit. Gaudio exsilibat interea, deque alumna sua gloriabatur Aponte; sed ista tamen quam occultissime agebantur omnia, tantæque virtutis extra domesticos parietes fama innotuit nihil per annos plures. At vero occultari diutius viro excultissimo, nobilissimoque, domus, quam Tambronia incolebat, domino, Nicolao Favæ Ghisilierio Comiti, non potuit. Qui quidem cum feminam laudasset

ipse vehementer, tum ut alii quoque laudarent, effecit; ut autem laudarent, satis fuit, ut noscerent. Ergo accidit peropportune, ut Fava anno MDCCLXXXX eorum Poetarum Cœtui præesset, quos Inextricatos (illorum enim temporum ejusmodi erat titulorum libido) vocabant: quare in eorum Cœtum, nobilem oppido, illustremque, cooptandam, carminibus nimirum puellæ elegantissimæ in medium de more allatis, proposuit; unum porro, idemque fuit Clotildam proponi, ac ingenti omnium plausu, atque acclamatione cooptari. Quam vero jure id sibi honoris consecuta fuerit, tum maxime ostendit Tambronia, cum græcum epithalamium, italicâ abs se paraphrasi absolutissimâ adiectâ, in nuptiis Favæ ejusdem cum lectissima femina Cajetana Mariscotta Bersellia in vulgus prodidit. Quod cum inter alios legisset magnus Cunichius, tantam se linguæ atticæ elegantiam admiratum intelleximus. Sed et summas ex iis quoque carminibus adepta est laudes, quibus tum Andreæ Ioannetti Cardinalis, Archiepiscopi nostri, e mortis prope faucibus erepti, sanationem, tum fortissimi Austriacarum copiarum Ducis Clairfaitii victorias, tum Spenceri viri angli, genere, litterisque

præclarissimi, diem filii natalem cecinit; unde factum est, ut latissime ejus nominis patere cœperit celebritas. Quare non civium solum, sed exterorum etiam poetarum Cœtus eam sibi sociam adsciverunt; immo non poetarum modo, sed et bonarum quoque artium magistrorum, et antiquitatis, omnisque eruditionis cultorum Collegiá per Italiam: ut Sodalis Arcadica, Sodalis Clementina, Sodalis Etrusca Cortonensis adlecta sit; eamque litteratissimi viri e cunctis prope Europæ partibus, sive qui Bononiam adventassent, coram inviserint, sive qui abessent, per litteras consuluerint, ejusque judicia una cum virorum præstantissimorum judiciis honoris sui ergo in publicam lucem emiserint. In his Valerius Ciccolinus Silenzius Maceratensis; tum et Wolfius e Germania, Porsonus ex Anglia, alii ex aliis regionibus honorificentissimas de ea, plenissimasque singularis cujusdam existimationis significationes præstiterunt. Quo quidem loco minime prætereundum ducimus, quod et ad ejus commendationem maxime facit, et pauci fortasse norunt in præsens, in futurum autem tempus, nisi litteris tradatur, noverit nemo, cum addubitasset nescio quis, ne quæ

Tambroniæ nomine circumferrentur, Apontis verius essent quam sua, ut omittam de italicis versibus nullum subesse locum dubitandi posse, de græcis non semel contigisse, ut cum docti viri, nedum studiosi adolescentes, apud eam, uti sæpe usuveniebat, litterarios conventus agerent, interea dum alii aliis de rebus poeticis sermones conferrent, ipsam iis ipsis de rebus calamo prope effuso versus utrâque linguâ chartulis consignasse; qui etsi ferme ex tempore prolati essent, elegantiâ tamen, et nitore cæteris abs se studio perpolitis, elaboratisqne vix, aut ne vix quidem concederent. Quod me vir fide dignissimus, harum sane rerum, si quisquam alius, æstimator æquissimus Collega noster Iosephus Mezzofantus certiorem fecit, qui illud mihi item affirmavit celeritate non italice modo, sed etiam græce scribendi, ut est feminarum ingenium promptius fere, ac facilius quam marium, Tambroniam vel ipsi Aponti antecessisse. Iam quanta ejus fuerit græcorum scriptorum cognitio, tum expertus apprime est præclarissimus vir Irenæus Affous, cum opellam de fabulis ab Antonio Allegrio Parmæ in Cœnobio Paulliano depictis editurus, græcorum

poetarum, ac mythologorum loca picturas illas illustrantia cum Tambronia commemoravit; loca enim ipsa extemplo adiit femina eruditissima, explanavitque ita, ut ad eam rem se multo ante comparavisse videretur. Itaque et ob idipsum opellam illam Affous jure optimo Tambroniæ dedicavit. Sed et Pausaniæ loca quædam, quæ ab Romulo Amasæo fuerant prave reddita, animadvertit, recteque est interpretata, et nonnulla, quæ celeberrimus Barthelemyus in suis de Anacharsis Minoris itinere libris peccaverat, emendavit. Vt mirum nemini esse debeat, quod et Senatus Bononiensis jam inde ab anno MDCCLXXXXIII græcarum eam litterarum magistram creaverit, et qui sæculo ineunte Reipublicæ Italicæ præfuit, nostrumque instauravit Archigymnasium, splendidiore docendi munere honestaverit. Quod quidem munus nihil attinet dicere, quanta laude obierit sive discipulos prælectionibus informaret suis, sive eosdem doctrinæ insignibus exornatura ex hoc ipso loco sermones haberet. Mira enim in singulis perspicuitas, mirus ordo, mira elegantia: atque ut in illis doctrinam, et eruditionem laudavisses, sic in istis argumentorum etiam de-

lectum, venustatemque probavisses. Modo enim de Sappho poetria, an se se e Leucade Phaonis amore perdita præcipitaverit, modo de cycnis, an vere cum cantu, et voluptate moriantur, modo de aliis hujusmodi disputavit. Sed et illa perquam illustris, atque ornatissima oratio, quam anno MDCCCVI in solemni studiorum nostrorum instauratione recitavit, atque in lucem edidit. Eam enim qui legent, non poterunt, quin singularem, et summam omnium disciplinarum, litterarumque notitiam, tum et vim quamdam eloquentiæ admirentur abundantem, ut ait Tullius, sonantibus verbis, uberibusque sententiis. Atque hanc, inquam, orationem in lucem edidit Tambronia. Vtinam vero et quas modo memini, et cæteras, quas scripsit, elucubrationes edidisset! Vtinam eos præsertim edidisset græcos versus, quos condidit paucis ante quam decederet mensibus, græcis Apontis versibus, quos edere decreverat, præjiciendos! Quantus in iis nitor! quantus lepor! quanta suavitas! Sed ex eorum versuum edendorum consilio quanta etiam ejus erga beneficentissimum virum, magistrum educatoremque suum, ac prope parentem pietas explendescit! Etenim id

verissime affirmare possum, inter cæteras ejus virtutes, quæ et multæ, et magnæ exstiterunt, religionem, verecundiam, in secundis rebus temperantiam, constantiam in adversis, in consiliis dandis prudentiam, singularem prorsus innocentiam vitæ, tot, inquam, inter virtutes gratum animum, ac beneficiorum memorem eminuisse. Vtique illa quidquid sciret, ab Aponte se didicisse, quidquid sibi vel honorum, vel fortunarum obvenerit, ipsi acceptum referre se debere femina modestissima, et gratissima fatebatur. Illum propterea sive prosperâ, sive adversâ utentem fortunâ, pietate semper, ut dixi, est eâdem complexa. Quod tum maxime apparuit, cum is anno MDCCLXXXXVIII ex Italia fere extorris in Hispanias profectus est, atque inde haud multo post (sic enim eorum ferebant temporum, rerumque vices publicarum) in Italiam remeavit. Tambronia scilicet comitem se se optimo seni addidit, euntemque, et redeuntem, ac terris undique, et mari jactatum sequi non dubitavit. Ad ultimam vero senectutem cum is pervenisset, ac diuturnâ, teterrimâque paralysi esset conflictatus, qua cura, quo studio, qua sollecitudine illi adfuit!

quanta perseverantia ad extremum usque spiritum præsto fuit! Exstinctum vero et supremis pietatis officiis, et mœrore, lacrymisque, quoad vixit, est prosequuta; cumque monumento marmoreo satis splendido ejus cineres decorasset, tum monumentum marmore perennius, carminibus nimirum et Apontis ipsius, et suis, ejus gloriæ exigere constituerat. At quod ipsa, morte intercepta, perficere non potuit, perficient, uti spero, fratres ejus amantissimi, ac suo quisque laudum genere præstantissimi. Nihil quidem ad ejus nominis famam accommodatius, opportunius nihil esse poterit. Ego eos certe ad id hortari numquam desinam; neque enim eorum quidquam, quantum in me erit, præteribo, quæ ad ejus laudem conferre posse arbitrabor; id quod et eximiæ ejus, ac plane singulares virtutes jure suo poscunt, et præclara quoque ejus in me merita requirunt. Illa enim cum in omni vita incredibili me comitate excepit, tum moriens etiam egregiam suam erga me voluntatem testata est. Etenim Theatri Saguntini ligneum typum, quem eadem ipsa sibi, Apontis hortatu, cum Valentiæ versaretur, affabre supra quam credi possit, atque

accuratissime faciendum curaverat, inque patriam redux summâ diligentiâ secum deportaverat, quem eo vel maxime habebat carissimum, quod monumentum exstaret auspicatissimæ ejus cum Aponte suo necessitudinis, ipsum, inquam, morti proxima donum mihi dari jussit. Quo quidem dono si me gloriolâ quâdam affectum negem, certe mentiar, præsertim cum mentem subeat, ipsi id temporis de me succurrisse, quo de amicissimâ, sibique simillimâ femina succurrit Maria Dalledonne, cui donum item veteris benevolentiæ pignus dari voluit. At ista quidem et id meruit, et quo rependat, ingenio doctrinâque suâ abunde habet: me vero pudet nec meruisse, nec quo rependam, habere quidquam; nisi forte remunerationis cujusdam loco habeatur, si quod ipse minus possum, id ut efficiant alii, hortando, instandoque curavero. Cum autem remunerationis genus præstantissimum esse illud videatur, et sit, plurimos excitare, qui ejus in suo quisque genere præstantiam, excellentiamque æmulentur, vos enimvero oro, obtestorque, Iuvenes egregii, qui doctrinæ hodie præmia retulistis, ut mulieri inclytæ, deque me optime meritae,

quam amplissimam pro me gratiam referatis. Hortatus equidem sum alias alios, uti praestantes, quos laudaram, viros æmularentur suorummet ipsorum caussâ; hortor vos in præsens non tam vestrâ caussâ, quam meâ, uti feminam eximiam pro viribus æmulemini. Cujus quidem virtutum splendor tantopere enituit, ut non modo ad amplissimos viros, et dignitate, omnique laudum genere excellentes, sed ad sapientissimos quoque, sacratissimosque Principes PIVM VI. et PIVM VII. Pontifices Maximos pervaserit; a quibus et verbo, et scripto Tambroniam commendatam accepimus. Vos tantorum Principum commendationi, quâ nulla esse neque amplior potest, neque honorificentior, laudis etiam quidpiam accedere potuisse, virtute, quæso, vestrâ ostendite.

BONONIÆ

EX TYPOGRAPHIA IOSEPHI LVCCHESINII

PERMISSV PRÆSIDVM.

SERMO

HABITVS

IN ARCHIGYMNASIO BONONIENSI

VI. CAL. IVLIAS

A. MDCCCXVII

19.

HIERONYMO BIANCONIO
PRAEPOSITO MVSEO RERVM ANTIQVARVM ARCHIGYMNASII BONONIENSIS SERVANDO

PHILIPPVS SCHIASSIVS

Posteaquam intellexi, Bianconi mi suavissime, nihil sententiâ tuâ esse, quominus sermunculus, quem de Ioanne Baptista Bianconio patruo magno tuo scripsi, ederetur, eumdem non modo edere, sed et tibi inscribere constitui. Cuinam enim illum inscriberem aptius, convenientiusque, quam tibi, qui tanto necessitudinis vinculo cum homine obstringeris, eodemque prope munere, quod is in Museo nostro tenuerat, perfungeris? Tu præterea summâ es mecum diutinæ amicitiæ, officiorumque omne genus fœdere conjunctus, neque mecum solum, sed etiam cum Iosepho Mapphæo Schiassio fratris mei filio, quem me esse alterum pro-

be nosti, quemque pro tuâ cum in eum, tum in me benevolentiâ in rebus antiquis dignoscendis, æstimandisque diligenter informas. Sermunculum itaque habes tibi inscriptum. Tu velim, quo illum animo ego ad te defero, tu, inquam, eodem excipias. De quo profecto ne dubitem, facit summa illa, quam dixi, amicitiæ nostræ, communiumque officiorum conjunctio. Quam quidem dum considero, non possum, quin mihi ipse gaudeam, gratulerque vehementer. Eâ enim factum esse, fierique in dies magis et sentio, et profiteor, ut cum Museo ordinando, cui præsum, multam tu operam conferas, non modo muneri meo non deesse, sed laudem etiam aliquam ex tuis curis, laboribus, sollertia in me ipse derivare videar. Qua de re tibi aliquam referre gratiam etiam atque etiam exopto; haud satis referre me posse, ægre fero. Reliquum itaque est, te ut rogem, remunerationis cujusdam loco (quando præstare aliud in præsens nequeo) sermunculi hujus nuncupationem gratam, acceptamque habere velis. Cura, ut valeas, mi Bianconi, meque ama.

Ioannem Baptistam Bianconium, archæologum apprime doctum, laudibus exornare qui aggredior, non dubito, Collegæ præstantissimi, Auditoresque humanissimi, quin unusquisque vestrum consilium sit meum haud una de caussa probaturus. Primum enim cum eos facile commendare soleamus, qui in iis studiis, quæ a nobis excoluntur, eminuerunt, fieri non potest, ut me quispiam reprehendat, quod cum archæologiam pro virili parte profitear, archæologum præstantissimum extollendum susceperim. Deinde vero cum idipsum non uno, aut altero, quem jampridem apud vos habui, sermone de Malvetio, et Biancano, viris eodem laudum genere excellentibus, præstiterim, atque, ut mihi quidem visum est, consilium meum nemine non probante præstiterim, quî timeam, ne in cujusquam objurgationes incurram, si id præstitero de Bianconio? An non enim Bianconius lauda-

tione dignissimus? Mitto eum in politioribus litteris sic valuisse, ut cum adolescens Patavium progressus, atque in ejus Ecclesiæ alumnos cooptatus, doctorem habuerit Iacobum Facciolatum, abunde responderit et doctoris dignitati, et urbis; ac Facciolatum quidem novimus magnas, atque incredibiles amoris significationes, easque ad mortem usque, Bianconio præbuisse. Mitto de sacrarum rerum, quarum studio in patriam redux, et sacerdotium initurus totum se dedidit, ejus scientiâ dicere: quo quidem nomine carissimus fuit, probatissimusque theologo sui temporis præstantissimo Vincentio Ludovico Gottio; ut eum is Cardinalis renunciatus esset, atque hinc Romam esset concessurus, inter familiares suos Bianconium, studiorum scilicet suorum magis, quam itineris, socium sibi adsciverit; a cujus tamen latere est brevî divulsus, Carolo fratri ad Mariæ Mascarellæ Curioni Priori morte intercepto successor datus; ab eo autem munere, quo annos ipsos duodecim in exemplum est functus, se abdicavit: nimirum veritus, ne qui et docendi onus a Senatu susceperat, et in sua se studia ferri vehementer sentiebat, sanctissimo il-

li, gravissimoque officio vel minimum deesse cogeretur; in quo sane apparuit, quanta ejus fuerit animi religio, et sanctimonia. Sed hæc, inquam, missa facio, quod ad archæologiæ laudem, de qua me sermonem habiturum dixi, minus pertinere videantur. Id potius commemorabo, quod modo attigi, ut primum Româ rediit, fuisse illi munus ab Senatu delatum græcæ linguæ tradendæ in Archigymnasio; cujus quidem linguæ cognitio cum perutilis multis, tum archæologis apprime necessaria est: ex Senatus item decreto fuisse eidem in disciplinarum, atque artium Instituto Musei rerum antiquarum præfecturam demandatam. Ac multa sane, ad græcæ linguæ tradendæ munus quod attinet, dicenda occurrunt, quæ magnam illi laudem pepererunt. Primum enim cum plures, eosque clarissimos viros in ea lingua erudiit, Ioannem Ludovicum Bianconium fratris filium, Lazarum Spallanzanum, Iacobum Tazzium Biancanum, tum illum præcipue discipulum est nactus, qui in ea eruditione maximam et sibi, et doctori suo gloriam comparavit, Aloysium Mingarellium; cujus operâ, et studio cum Naniani codices græci commentationibus aucti eruditissimis in

lucem prodierint, ferme dixeris tanti laboris exemplum desumpsisse Mingarellium a Bianconio, qui ante annos septem anonymi scriptoris historiam sacram ab orbe condito ad Imperatores Valentinianum, et Valentem e codice græco mediolanensi a se descripto, latinoque facto, atque animadversionibus illustrato, divulgaverat; qua quidem in re mirum, quanta ejus diligentia, fides, doctrina eniteat! Cum vero codex ille mediolanensis mancus esset, ejusque auctor ignoraretur, dici vix potest, qua ingenii acie, quaque conjiciendi subtilitate adlaboraverit Bianconius, ut qui esset auctor ille, assequeretur. Ac credo equidem omnes in ejus sententiam concessuros fuisse, atque Hesychio, Presbytero Hierosolymitano, calculum daturos, nisi Ioannes Ludovicus Bianconius, quem supra nominavi, cum Bibliothecæ Bavaricæ codices evolveret, codicem mediolanensi prope similem, eumque integrum nactus, ejus auctorem operis, hoc est Iulium Pollucem, comperisset. Sed quæ Bianconii fuerit græcæ linguæ doctrina, immo vero etiam hebraicæ, luculentissime patuit ex eo libro, quem de veteribus litteris Hebræorum, et Græcorum exaravit; qui quidem li-

ber etsi mole exiguus, re tamen ipsa permagnus est. Crediderunt Iudæi (utor Bianconii verbis), qui altero post excisam a Tito Hierosolymam sæculo vixerunt, Esdram antiquasse vetustas figuras litterarum hebraicarum, earumque loco utendas populo suo tradidisse illas, quas Babylone viderat fuisse in usu: atque hoc tanta asseveratione affirmare consueverunt, ut id nostris etiam summis quibusque, et doctissimis viris persuasum esset. Verum huic opinioni, uti Bianconius ait, maximam semper attulere difficultatem judaici nummi, qui in manibus multorum sunt, sicli vulgo dicti, quibus impressæ sunt non eæ litteræ, quas nunc habent Iudæi, sed vetustissimæ ejus gentis, seu samaritanæ, quamvis nemo fortasse sit, quin fateatur longe post captivitatem babylonicam eos nummos fuisse percussos. Quare litteras veteres Hebræorum non fuisse publica auctoritate immutatas, neque Esdram novas invexisse litteras, sed ex iis, quæ in siclis extant, paullum immutari cœptis commodo, et celeritate scribendi, sensim efformatos esse characteres judaicos, qui nunc sunt in usu, pluribus, ac pluribus contendit Bianconius. Non is ego sum, qui hac de re ju-

dicare aut sciam, aut velim. Affirmare tamen non dubito ea me semper probavisse, quæ ille sive ad communem opinionem refutandam, sive ad suam adstruendam attulit: pro nihilo habenda putavisse, quæ objecta sunt. Fuit enim ex Lipsiensibus hominibus, qui in eum librum aliqua notaverit; sed adeo temere notavit, imprudenterque, ut simultate illum potius, quam veritate ad reprehendendum fuisse permotum facile agnoscas. Cæterum quis non eum librum magni fecerit, quem et Dutensius, et Pellerinius, et Torremutius laudarunt, tum et Eckhelius, et Lanzius recitaverunt, atque ut cæteros prætercam, noster quoque Mezzofantus etiam atque etiam commendat? Neque vero de hebraicis solum, sed de græcis etiam, ut monui, litteris scripsit Bianconius eruditissime, cum quæ earum esset antiquissima forma ostenderet, veteresque Græcos ipsis Hebræorum, seu Phœnicum litteris usos esse declarandum suscepisset. Sed et de etruscis litteris in eo libro, tum et de samnitibus subjecit quædam, quæ magno illi veterum italicarum linguarum explanatori Lanzio digna videantur. Immo vero et de veteribus litteris hispanicis industriam,

atque, ut ille inquit, fortunam experiri suam voluit. In quo sane haud culpandus, quod res illi parum ex sententia cesserit; sed quod id tentaverit, magnopere laudandus. Omnino hæc Bianconio fuit verissima laus, quod et difficilia explicare, et nova detegere conaretur. Quapropter eodem consilio numismata duo, Petelinorum alterum, alterum Syracusanorum, illustrare adortus est; in quorum primo cum caput muliebre velatum animadvertisset, quod Reginæ Philistidis caput in numismate altero signatum apprime referret, conjicere se posse est arbitratus, Reginam Philistidem, de qua nihil historici tradiderunt, Peteliæ regnavisse, hoc est in ea urbe, quæ Lucaniæ princeps esset, et pace belloque præ cæteris ejus regionis urbibus floreret. Vix autem credas, quantâ illorum temporum eruditione, quantâque conjectandi vi rem conficere enitatur. At multo majori et doctrinæ, et ingenii acie numisma tertium explanare est aggressus, quod ab Rege Hierone Majori cusum fuisse autumavit: quo quidem in numismate explanando quanta sibi etiam fuerit bonarum artium tum in Sicilia, tum in Græcia excultarum cognitio, mirifice pate-

fecit; ut ex ejus numismatis ætate, atque artificio inferre posse ipse sibi sit visus, Siculos non solum præstantiâ, sed etiam antiquitate in bonarum artium culturâ Græcis antecessisse. Etsi vero quæ de his numismatibus elucubratus est Bianconius, non omnia omnibus, ut vere fatear, persuaserit (quod quidem in eo argumenti genere accidere fere oportuit) fassi tamen sunt docti omnes, et in multis veritatem, et in omnibus doctrinam, ingeniumque elucere. At vero in duobus iis libris, quorum alterum de tabella eburnea quadam consulari sua, alterum de veteri Bononiensi Baptisterio ad Stephani Protomartyris egit, non doctrina modo, ingeniumque ejus, sed veritas etiam sic elucet, ut omnia omnibus persuasisse non dubitem. Adeo multis, et gravibus argumentis quæ duo sibi sumpsit, confecit, et tabellam scilicet consularem illam omnium esse, quotquot innotuere hactenus, antiquissimam, et quæ Sancti Sepulcri ædicula vulgo semper est habita, in usum fuisse Baptisterii ab initio exstructam. In iis autem libris non solum quæ veterum Romanorum consuetudines, et instituta, sed et ea quæ sequioris ævi fuerunt, tum vero etiam

quæ ad religionem, disciplinamque Christianorum spectant, protulit eruditione plane summa. Quam quidem hominis in re quaque eruditionem agnoverat jampridem clarissimum illud italicarum litterarum lumen Ludovicus Antonius Muratorius, qui Bianconium sibi singulari necessitudinis, et amicitiæ fœdere, ut idem ipse Muratorius in suo de rerum italicarum scriptoribus opere affirmat, devinxerat. Sed et exteri alii præclarissimi fuerunt illi omni familiaritate conjuncti, in quibus Benedictus Bacchinius Abbas Casinas exstitit, a quo valde suis in studiis se adjutum profitebatur Bianconius, et ex nostris eorumdem prope studiorum auctor, atque amplificator eximius, Ioannes Chrysostomus Trombellius, ut mittam reliquos: longum enim esset singulos enumerare. Neque vero plura persequi tempus patitur ad dicendum datum. Ad vos enim jam convertendus, Iuvenes egregii, sermo est, quibus doctrinæ, virtutisque præmia haud sunt diutius retardanda. Hæc vobis Doctores vestri, quorum amplissima suffragia retulistis, optimo jure decreverunt. Id nimirum ingenio, id diligentia, id studio, id morum integritate vestra promeruistis. In quo

Bianconium estis ad unum omnes imitati, qui et ipse, ut ab initio attigi, Doctorum suorum laudem, benevolentiamque fuerat cumulatissime assecutus. De quo quidem Bianconio eo vel opportunius, vel libentius dixi, quod vestrum non pauci ad antiquitatis etiam studia, in quibus ille excelluit, animum appulistis. Id unum superest, quod utique futurum confido, ut qui a prima juventute ejus vestigia persequi instituistis, iisdem procedente quoque ætate ad ultimam usque senectutem insistere omni studio contendatis.

BONONIÆ

EX TYPOGRAPHIA IOSEPHI LVCCHESINII

PERMISSV PRÆSIDVM.

SERMO

HABITVS

IN ARCHIGYMNASIO BONONIENSI

VI. ID. IVLIAS

A. MDCCCXVII

ALOYSIO SALINÆ EQ. ADV. IVDICI LITIBVS APPELLATIONE INTERPOSITA DIRIMENDIS

PHILIPPVS SCHIASSIVS

Quem modo exaravi sermunculum de laudibus Antonii Magnanii, ad te statim mitto, mi Salina, uti pro tua et in communem magistrum observantia, et in me benevolentia eum, quoad fieri possit, emendes, tolerabilemque facias. Velim te hac in re mihi esse Magnanium alterum. Scis, quæ ejus fuerit non modo acies ingenii, sed

etiam patientia in discipulorum erratis corrigendis. Te ut acie ingenii præstare certo scio, sic patientiâ uti velle non dubito. Itaque addes, demes, ut lubebit: utinam novum sermunculum feceris. Tum vero, cum quidquid libuerit, mutaveris, eum remittes, quem in Archigymnasio recitem, deinde typographo tradam. Neque enim quem tu emendaveris, vel potius tuum feceris, indignum putabo, qui et audiatur, et in manus hominum veniat: immo vero qui tibi dedicetur. Num ne ejusmodi dedicationem abnues? Enimvero si abnueris, vide ne vel in humanitatem ipse tuam, vel in mutuam amicitiam nostram, vel in tanti magistri dignitatem pecces. At vero absit, ut te tam multa peccare velle existimem. Vale, meque amare perge.

Illi jure optimo, Collegæ præstantissimi, Auditores humanissimi, et maximi fiunt, et celebrantur viri, qui cum disciplinis, atque artibus, tum quovis virtutum genere eminuerunt; habet enim, ut ait Tullius, venerationem justam quidquid excellit. At si qui in id maxime incubuerint, ut alienæ potius utilitati servierint, quam commodis indulserint suis, ii non modo existimatione, laudibusque omnium, sed gratissima etiam civium memoria, publicisque monumentis remunerandi sunt. Ejusmodi autem viros non tam patrum ætate, quam uostrâ bene multos in hac urbe exstitisse lætari possumus; quorum et in patriam, et in omne genus hominum pervagata est fama meritorum. Infinitum est, et non necessarium singulos recensere. Vnum tamen mihi nefas sit præterire, quem in omni vitæ cursu id potissimum spectasse, ut cæteris bene faceret, optimeque de patria mereretur,

cum fateri debent omnes, tum enimvero testari ipse possum quam qui maxime. Is autem, ne diutius vos demorer, Antonius Magnanius fuit. De quo si dicere nunc aggredior, mirabitur, ut arbitror, nemo; quandoquidem cum viros non paucos et doctrinâ, et virtute præstantes laudandos ex hoc loco susceperim, is certe minime sit abs me prætereundus, quem non modo plurimi semper fecerim, sed etiam habuerim studiorum meorum auctorem, supra quam dici potest, beneficentissimum, amantissimumque; ut non tam dignitas hominis ipsa per se, quam meus pro eximiis ejus in me meritis gratus animus laudationem postulare videatur. Ego vero ita laudabo, ut non singulas ejus laudes (id quod nimis longum esset) persequar, sed quod in eo admiratus sum in primis, quodque summum plane fuit, et singulare, in conspectu omnium ponam, constantem scilicet de omnibus bene merendi voluntatem. Iam vero quantopere studuerit semper, ut cæteris prodesset, vel a prima ætate declaravit Magnanius, cum adhuc adolescens Societati Iesu nomen dedit: cui quidem Societati, ut omnes norunt, id potissimum curæ fuit, ut cum re

quavis, tum optimâ præsertim juventutis et ad doctrinam, et ad pietatem institutione communi bono consuleret. Magnanio, statim atque per Ordinis sui disciplinam licuit (etenim ingenio, ac studio præverterat) politiorum litterarum tradendarum est munus delatum: quod ille munus Patavii obiit; sedenim paullo post dissoluta Societate in ipso vitæ flore omnis est ejus et susceptarum rerum abruptus cursus, et futurarum. Attamen propositi tenax institutam vivendi rationem, quoad potuit, servavit, quippe qui ad Ignatium Advocatum fratrem suum cum rediisset, non modo studio litterarum vacare uti antea, sed etiam adolescentes domi cogere, atque ad omnem humanitatem informare sollemne habuit: id vero fuit luculentissimum non tam ejus doctrinæ, quam pietatis argumentum, quod festis diebus cætus hominum, qui artibus quisque suis vitam tolerant, ad religionem, virtutemque in Asceteriis instituere omni contentione aggressus fuerit. Quamquam id curæ in Natalem fratrem dimittere (habuit enim præter eum, quem modo nominavi, Ignatium Advocatum, et Natalem, et Augustinum ejusdem et instituti, et propositi fratres optimos) dimittere,

inquam, id curæ est coactus, cum illud sibi fuerit suscipiendum onus, quo nullum potuit aliud Magnanio deferri neque existimationi ejus gloriosius, neque desiderio, virtutique accommodatius. Abdicaverat enim se se eloquentiæ in Collegio Clericorum tradendæ munere clarissimi vir nominis Antonius Montius; ad quam quidem adipiscendam non ii modo, qui sacris disciplinis, sed et qui disciplinis quibusque aliis operam darent, confluebant. Dicam aperte, quod verum est: gloriosum fuit Magnanio, dari se Montio successorem; at multo gloriosius dari per ea tempora, quibus et non pauci suppeterent viri dignissimi, qui Montio succederent, et a publico quovis munere, qui in eam Societatem cooptati fuissent, prohiberentur. At vero Magnanii virtus Andreæ Ioannetti Cardinalis, Archiepiscopi nostri, animum adeo perculit, ut sive temporum, sive personarum difficultatibus posthabitis eum præ cæteris adlegerit, qui Clericos suos erudiret, studiorumque in suo Collegio præfecturam gereret: quod quidem nescio, Magnanio ne, an Ioannetto gloriam pepererit majorem. Certe quidem Senatus Ioannetti exemplo permotus eodem prope tempore elo-

quentiæ in Archigymnasio tradendæ munus et ipse detulit Magnanio. Hic enimvero cognitum est, quanto is de civibus, de exteris, de omnibus bene merendi studio flagraret. Orationem statim, immo fere ex tempore, de laudibus Francisci Mariæ Zanotti paucos ante dies e vita sublati elucubravit, qua elegantissimi illius in utraque lingua scriptoris auditoribus suis absolutissimam scribendi formam proposuit: tum orationem alteram, qua in liberalibus disciplinis ita suos cuique limites esse servandos docuit, ut nihil invita faciat minerva, in sollemni studiorum instauratione recitavit: quas qui legerit orationes, utique id agnoscat, quod sæpissime ab ipso commendatum, atque inculcatum intellexi, fuisse sibi propositum semper, ut omnium utilitati, quidquid scriberet, inserviret. Quapropter quacumque in re, quam sibi demonstrandam sumpsisset, non ingenii aciem, subtilitatemque, qua gloriam quæreret, sed veritatem unice sectatus est, cujus vis, et declaratio cunctis evaderet fructuosa, maximeque salutaris. Id nimirum in hisce orationibus apparet; id et in aliis compluribus videre est, quas identidem habuit multis de rebus,

sive cælites sanctos extollendos, sive litteratos viros commendandos, sive argumenta quævis alia tractanda suscepisset; ut affirmari certissime possit id curavisse semper, ut auditores ejus numquam ab eo nisi aut doctiores, aut meliores discederent. At quantoscumque ederet scribendo fructus, qui certe et multi, et magni erant, pro nihilo tamen habendos putaverim, si cum iis compararentur, quos docendo edebat. Mitto quod præcepta adeo subtiliter, et enucleate traderet, ut nemo magis: mitto, quod ea apponeret exempla, quæ, ut illius utar verbis, in omni genere nulla laborarent vitiorum permixtione, omni autem absolutæ præstantiæ specie illustrarentur. Sed ex usu, atque exercitatione scribendi, duce nimirum, atque emendatore Magnanio, maximum discipulis emolumentum redundabat. Haud vereor, ne cuiquam præconcepta in magistrum opinione permotus videar, si dixero Magnanium in ejusmodi arte, atque excellentia neminem habuisse parem. Vivunt adhuc, florent, adsunt, quos hac de re testes appellem. Cum tria scribendi sint genera, limatum unum, et tenue, ut ille ajebat, ornatum alterum, et florens, tertium

eruditum, et copiosum, quis curavit impensius, intelligentiusque, ut quæ vitia in singulas scribendi rationes plerumque illabuntur, discipuli ejus feliciter evaderent; ut, quod in Zanotto maxime commendabat, iidem in tenui essent limati, nec tamen umquam exiles, in ornato florentes, nec tamen umquam turgidi, in erudito copiosi, nec tamen leves in singulis, aut mediocriter absoluti. Prætereo reliquas (nam finem dicendi numquam facerem) ejus disciplinæ præceptiones acres, tempestivas, certissimi judicii plenas, sive de unoquoque orationum genere, sive de variis poeseos speciebus ageretur; idque tum latinâ linguâ, tum italicâ: quis enim ingenium utriusque linguæ, atque indolem penitius calluit? quis verborum proprietatem, copiam, splendorem, venustatem, quis sententiarum delectum, concinnitatem, aptitudinem, veritatem in auditorum scriptis animadvertit acutius, suffecit uberius? Atqui tanta docendi laus, quæ præstabilis in unoquoque fuisset, in eo fuit longe præstabilior, quod nihil umquam omiserit, ut eam in suorum discipulorum utilitatem derivaret. Nam quis de eorum progressu studiosior? Quid incommodi fuit, quid

laboris, quod ille eorum caussa non obierit? Hominem vidisses sollicitum, ac prope anxium præsto cuique esse, excipere singulos tum in gymnasio, tum domi ad multas horas, dictata, inventa perlegere, demere, addere, vertere in melius, nullo umquam tempore deesse petentibus? quid dixi petentibus? quærebat idem ipse non petentes: instabat, urgebat, obtundebat propemodum, si quem paullo socordem cognovisset. Quem putas fuisse cum diligentibus? Profecto quis, quantusque Magnanius iu docendo fuerit, ex eo potest intelligi, quod nemo forte per id temporis in universa civitate adolescens laudem sit aliquam expoliti, elegantisque sermonis adeptus, qui ex ejus schola non prodierit. Quæ quidem schola tanto in honore, tantaque in celebritate versabatur, ut ad eam non adolescentes modo, sed et ætate provectiores convenirent; quique graviorum etiam disciplinarum cursum confecissent, doctrinæque lauream reportassent, cum cæteris discipulis se se commiscere, iisque assidere non erubescerent: adeo præstantissimi illius viri auctoritas, dignitasque eminebat. Quid? quod tam frugifera erat, tantasque habebat ejus disciplina opportunitates, ut inauspicato accidisse

putaverim, quod Instituti Bononiensis Bibliothecæ præfectus fuerit: nova enim auctus occupationum mole, veteri, quod plures annos in Collegio Clericorum sustinuit, onere levari sese necesse habuit. Id tamen in eo, ut ita dicam, damno minus dolendum fateor, quod et tales jam alumnos sibi effecerit, qui doctoris tanti virtutem, studium, præstantiam æmularentur, et destiterit numquam, quoad per curarum magnitudinem licuit, non modo docere, sed etiam scribere, aut alia re quavis singulos, universosque juvare. Iam enim primum tragicos, et comicos græcos, opus mehercle ingens, italicos facere instituit, maximamque partem explevit, idque non tam ut illorum excellentiam, divinamque artem, quam sapientiæ plenissimas de re publica, deque civium vita conformanda sententias, quod ipse palam profitebatur, omnibus patefaceret. Deinde vero quum arctissima sit politiorum litterarum cum bonis artibus conjunctio, ac prope affinitas, iu eo non mediocrem operam collocavit, ut et de iis pro virili parte optime mereretur. Etenim non solum tabulas excellentium artificum magnis et curis, et impensis sibi comparavit, quæ urbi essent,

nedum domui suæ, ornamento, in quibus Barocciana illa eminet demortui Servatoris inter matris, piarumque mulierum, et discipulorum luctum imaginem referens, sed artifices ipsos hortari, monere, obsecrare, veterem bononiensis nominis in bonis artibus famam labefactari ne sinerent, aut quovis modo imminui: Carracciorum præstantiam ob oculo shaberent, ab eorum absolutissima pingendi ratione ne discederent; certissimam in iis æmulandis positam spem gloriæ: periculosum alios velle, aut aliam ab ea, quam ipsi tenuerunt, viam sectari. Hoc ille crebris usurpabat sermonibus; hoc oratione elaboratissima palam, publiceque contendit, præcepitque, ea, inquam, oratione, qua Ludovici Carraccii laudes est diligentissime, scientissimeque, ita vivam, persecutus. Incredibile omnino est, quanto bonarum artium amore idem, et patriæ laudis studio exarserit. Quoties ego ipse increpantem audivi nonnullorum socordiam, inscitiam, avaritiam, perversitatem, qui vel ab exteris asportari, quae exteros ad nos tanto cum patriæ decore, atque emolumento invitarent, traherentque, vel quæ asportari nequirent, interire paterentur. Notissimæ sunt patrum nostrorum querelæ de suorum temporum ne-

quitia, cum Nicolai Abbatis picturas sub ipsorum oculis deleri cernerent. Querelas patrum renovabat Magnanius, cum cerneret ... Sed hæc præstiterit reticere, ne et picturas antiquas, et ornamenta ædificiorum, immo ædificia ipsa pessumdari qui videmus, patrum et ipsi nos cogamur, et Magnanii querelas renovare. Venio ad eam Magnanii laudem, qua non litteras modo politiores, non modo bonas artes, verum etiam disciplinas quasque eximio, immortalique beneficio complexus est. Animadvertite, quæso, quid perpetua possit, et flagrans de cunctis bene merendi voluntas. Hac scilicet voluntate percitus, atque inflammatus illud est aggressus privatus homo, quod vel Principibus permagnum est, maximeque arduum. Porro quasi ille animo prospexisset, quid et sibi, et patriæ, et Italiæ universæ immineret, quamquam Bibliothecæ nobilissimæ, perque Europam clarissimæ præerat, tamen jampridem ingentem librorum, eorumque selectissimorum, copiam conquirere undecumque, et comparare cœperat; posteaquam vero, Gallis Italiâ potitis, inter multa, quæ pessum irent, Bibliothecas qua publicas, qua privatas distrahi, dissiparique

vidit, longe majori, quam antea, Bibliothecæ sibi adornandæ studio est incensus, uti per vires tanto detrimento mederetur. Quare coemendorum librorum opportunam ex ea dissipatione occasionem nactus, itineribus etiam huc illuc ad id susceptis, Bibliothecam brevi eam instruxit, quam vix credas ab uno potuisse, earumque fortunarum homine, hoc est haud omnium locupletissimo, comparari. Sed partim temporum, quam dixi, conditio, partim sumptuum reliquorum parcitas, victus etiam ipsa voluntaria tenuitas id fecerunt, quod fortunarum suarum ratio non tulisset. Iam enim ad viginti quinque, atque amplius voluminum millia collegerat, eaque omne genus: non biblia deerant exquisitissima, non eorum interpretes, non scriptores rerum divinarum quarumcumque, non jurisconsulti, non medici, non mathematici, non philosophi, non historici, non oratores, non poetæ . . . quis ferat, ut singula enumerem vel genera librorum? Sed et codices plures, et autographa non pauca, diagrammata etiam suppetebant, ærique incisarum tabularum exempla, aliaque ornamenta, quibus Bibliothecæ nobilitari, excolique solent. Ex tanta vero

susceptione quid tandem exspectandum erat? Nimirum ut qui omni vitæ tempore quocumque potuerat modo cunctis adjumento, utilitatique esse studuerat, idem singularia anteactæ vitæ in patriam merita eximio, perpetuoque liberalitatis monumento cumularet. Itaque supremis tabulis substantiæ suæ universæ heredem municipium ea conditione fecit, ut Bibliothecam abs se comparatam opportuno et loco, et tempore in publicum civium, exterorumque usum dedicaret. Tantum porro, tamque præclarum patriæ caritatis exemplum, tantam, tamque commemorabilem beneficentiam quis non litteris, omnique monumentorum genere decorandam judicabit? Ac scio ego quidem simulacrum ejus ex marmore, idque affabre sculptum decreto publico ei propediem fore statuendum; neque dubito, quin exstiturus sit, qui eximias ejus laudes, virtutesque litteris pro dignitate mandet, in omnemque proroget posteritatem. Pudet me quidem tam leviter, jejuneque de tanto viro dixisse. Attamen si id effecero, ut nominis ejus recordatione Adolescentes hi, quos doctrinæ præmiis exornaturi sumus, ad gloriam excitentur, nec mei me quantulicumque ser-

monis pœnitebit, nec mediocrem ex eo me fructum cepisse existimabo. Quidni autem effecero? Injuriam enimvero me vobis illaturum arbitror, si dubitem; neque enim dubitare me sinunt luculentissima, quæ præbuistis, ingenii, studii, integritatis, singularisque omne genus virtutis experimenta. Spem igitur, quam protulistis, egregiam implete, Adolescentes optimi; iidemque Magnanii promerita etiam atque etiam recolite, ut et vobis honori, et civibus utilitati, et patriæ universæ emolumento esse possitis.

BONONIÆ

EX TYPOGRAPHIA IOSEPHI LVCCHESINII

PERMISSV PRÆSIDVM.



SERMO

HABITVS

IN ARCHIGYMNASIO BONONIENSI

III. CAL. NOVEMBR.

A. MDCCCXVII

AD ALOYSIVM SALINAM

EQVITEM ADVOCATVM

IVDICEM

LITIBVS APPELLATIONE INTERPOSITA

DIRIMENDIS

Quem subito expedii calamo, Salina, libellum,
Quasque dedi Maio, perlege litterulas.
Iam tibi, scriptorum judex o docte meorum,
Aut Maio, aut igni tradere utrumque licet.

PHILIPPVS SCHIASSIVS.

ANGELO MAIO SAC.

PRAEF. BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ

A LINGVIS ORIENTALIBVS

PHILIPPVS SCHIASSIVS

Tradideram ad VII. *Cal. Salinæ nostro, a quo pridie jucundissime, liberalissimeque excepti convivio ſuimus, sermunculos meos, de quibus verba mecum ſeceras, quosque ille ad te istuc protinus regressum mitteret, cum mihi nunciatum est sermunculum no-*

vum exarandum abs me esse de Iuvene optimo Natali Folegatto Ferrariensi, qui mox jurisprudentiæ laurea donandus esset. Exaravi autem, hocque ipso mane recitavi. Quid ni et hunc Salinæ tradam sermunculis cæteris subnectendum? Tradam equidem: atque ita tradam, ut has etiam ad te litteras dem, sermunculum ipsum quasi tibi inscripturus. At vero neque sermunculum accipies, neque litteras, nisi Salina consilium probaverit meum. Cum enim plane sentiam, quam audacter id faciam, velim audaciæ meæ culpam in Salinam transferas. Quamquam tantâ me, hominem prorsus nihili, tibique ne de facie quidem notum, humanitate es complexus, ut vix credam, Salinæ me vel amicitiâ, vel auctoritate indigere, uti de audacia mea abs te excuser. Etenim verissime tibi affirmare possum, obstupuisse me nudius tertius, cum viderem tantam in tanto viro erga me humanitatem. Quam suaviter, bone Deus! quam amice, quam benevole mecum es collocutus! Quam exquisita de penu tuo promebas, mihique, quasi cum eruditissimo dissereres, communicabas! Verum de summa illa tua, ac prorsus singulari in omni

eruditione præstantia mirabar minus, quod ea mihi jampridem ex præclarissimis abs te detectis, scientissimeque illustratis, quæ vel oculatos maxime, sollertesque viros fugerant, veterum scriptorum reliquiis, atque ex celebritate nominis tui esset notissima. At benignitas tanta cum tanta doctrina conjuncta animum ita perculit meum, ut his diebus neque cum Salina, neque cum amicis cæteris nihil nisi de ea loqui possem. Cur igitur timeam, ne me audaciæ meæ accuses? Ego vero mei potius timoris accusari abs te debere mihi videor. Peream, nisi et idipsum Salinæ videatur. Cura ut valeas.

Bononiæ III. Cal. Novembr.

Quem morem, uti vestrum neminem latet, Collegæ præstantissimi, Auditores humanissimi, pluribus abhinc annis institui, eumdem ego enimvero et hodierna die sequar; scilicet cum adolescentes nostros coronâ laureâ donaturus, præstantem aliquem Archigymnasii Bononiensis Doctorem non sine laude commemoraverim, idipsum nunc præstare animus est, eumque præ cæteris in memoriam vestram revocare excellentem virum, qui omnium primus Archigymnasio instaurato præfuit, idemque cum Iuvene hocce egregio, quem doctrinæ insignibus, titulisque decoraturi sumus, communem patriam Ferrariam habuit. Intelligit jam unusquisque vestrum, me de Iosepho Antonio Testa verba facturum: de quo tamen, si ut de reliquis feci, vix quædam attigero, eo minus vel mirabitur quispiam, vel dolebit, quod Collega noster eximius Iacobus Tommasinius perfectam sit, omnibusque abso-

lutam partibus ejus laudationem contexturus. Quis enim cum Tommasinius laudaverit, laudatorem alium requirat, vel potius ferat? At sin minus hominem pro dignitate laudare oporteat, referre tamen de eo licebit pauca, quæ ad me, meaque studia, et Museum nostrum potissimum spectant. Nam, quod non omnes forte norunt, fuit Testa omnis antiquitatis studiosissimus: quod quidem vel hoc uno ex pluribus, quæ afferre possem, argumentis, hoc, inquam, uno, quod statim afferam, luculenter patebit. Cum enim ego, uti solebam identidem, Gasparem Garattonium, litteratissimum virum, aliquando convenissem, Testaque subinde adfuisset, posteaquam alter alterum, uti fit, salutasset, verbaque ultro citroque de recta præsertim studiorum institutione, deque nova Archigymnasii nostri formâ, habita essent, ad me conversus Testa: tu vero, inquit, quid de auditoribus tuis? quid de Museo? recte ne se habent omnia? Ego vero, recte, inquam, de auditoribus; nam, quod verissime possum dicere, haud sperabam futuros mihi auditores neque tam multos, neque tam ingeniosos, neque tam diligentes; ut sæpe subvereri debeam, ut eorum ego satis vel

expectationi, vel desiderio respondeam. De Museo autem recte item; rectius tamen se res haberet, si pecuniæ plusculum præsto esset tum ad monumenta, quæ desunt, comparanda, tum ad ea, quæ suppetunt, aptius collocanda. Nam etsi haud pauca suppetunt, multo tamen plura, eaque præstantiora, desiderantur; quæcumque vero suppetunt, multo ea meliori ordine, ampliorique loco distribui postulant. Namque te non fugit, quam angusto in loco sint omnia congesta, quam permixta simul, confusaque omne genus: non ægyptia, non etrusca, non græca, non romana monumenta suis quæque locis disposita: non inscriptiones a statuis, ab utensilibus, a cæteris monumentis ejusmodi, quid? non antiqua a recentioribus propter summam loci angustiam sejuncta sunt. At tu, mi Testa, si te hæc studia, si Archigymnasii dignitas, si juvenum utilitas tangunt, enitere, ut quo citius fieri poterit, tanto aliqua medicina malo adhibeatur. Ego vero, ait ille, faciam sin minus quantum opus fuerit, certe quantum in me erit; nam præter quam quod et studiosæ juventutis, et Archigymnasii ad me universi cura pertinet, in hæc ego studia, insitâ quadam mihi ab na-

turâ voluntate, feror, ac prope rapior: hæc enim studia cum nobilissima ipsa per se esse, tum multum jucunditatis habere, multis vero utilibus disciplinis, atque artibus plurimum afferre adjumenti semper judicavi. Id enim mihi est, quod Biaucanus vester in elegantissima illa sua de Antiquitatis studio oratione ostendit, persuasissimum, multum scilicet nummorum præsertim contemplatione Chronologiam, multum Geographiam, quæ duo sunt Historiæ lumina, profecisse; multo vero etiam profecisse magis ipsam vitæ magistram Historiam. Quid porro artes liberales, quid mechanicæ? An alias habet, ut ille ajebat, Architectura leges præter eas, quæ ex veterum ædificiorum observatione eruuntur? A statuis porro Græcorum, et Romanorum, quod palam est, omnis sculpendi ars ad posteros dimanavit; ipsæque antiquorum picturæ, quamquam paucæ admodum præteritis sæculis a tenebris erutæ fuerint, neque eæ apud veteres ipsos in magno pretio habitæ, occasionem tamen Raphaeli præbuerunt, ut ad earum exemplar vaticanos xystos mirum in modum exornaret. Hæc nimirum Biancanus vester fuse, lateque in sua oratione, quam iterum iterum-

que incredibili semper cum voluptate perlegi, sic ut ejus fere verba teneam, exposuit; in qua plura etiam subjecit, ex quibus appareat, quam multæ ex his studiis in vulgares artes utilitates redundarint. Non pauca equidem eum memini de picturis vasorum, de musivis e vitro fusis, de novo quasi quodam metalli genere per Caylusium præsertim antiqua monumenta perscrutatum cognita, et detecta protulisse; tum quædam etiam de typografieæ artis, de graphidis, de telescopii inventione conjectasse. Nihil ista quidem opus hîc erat commemorare, quæ tibi perspecta, explorataque esse debent: cognosces tamen ex his, quanti tua studia faciam. Sed id magis, magisque ex eo cognosces, quod acceptum mihi quodammodo referre debeas, si Archæologia, eaque per te, per te, inquam, in Archigymnasio tradatur. Quod tu quidem audiens, miraberis forte; sed tamen ista sunt. Haud equidem dissimulo et Paleanum tuum, et Valerianum nostrum, excellentes sane viros, deque Archigymnasio optime meritos, cum quæ recta studiorum ratio habenda esset, publico jussu inquirerent, atque ad studiorum Præfectos referrent, multum et verbis, et de scripto ad-

laborasse, uti Antiquitatis studia ne præterirentur; idque etiam assecutos fuisse non diffiteor, ut in singulis Reipublicæ Archigymnasiis excolerentur. Quid? quod te ipsum novi in Archigymnasio hocce Bononiensi ejus disciplinæ Doctorem jam inde fuisse designatum. Sed in aliud tempus dilata res omnis fuerat; exspectandum scilicet eo usque ajebant, quo ad ærarii id commodo fieri posset. Ego vero quod vehementer timerem, id nisi statim fieret, ne in kalendas, ut ajunt, græcas res amandaretur, cum Archigymnasii præfecturam mihi deferendam intellexissem, meas esse partes censui apud studiorum Præfectos nihil non agere, ut adolescentes tam preclarâ, tamque frugiferâ disciplinâ ab ipsâ Archigymnasii instauratione, ac veluti dedicatione publice erudirentur. Alibi quantum libuerit, ajebam, id per me licet, viri præstantissimi, differatis; at non Bononiensi in Archigymnasio differatis, ubi Museum satis locuples præsto est, ubi multis abhinc annis ea disciplina traditur; neve tantulæ pecuniæ impendio sic absterreri patiamini, ut tantam utilitatem studiosæ juventuti, tantumque ornamentum Archigymnasio auferatis. Omnino ego argumen-

tis undique conquisitis, eâque majori, quæcumque in me erat, eloquendi facultate, ac vi Antiquitatis veluti caussam ita peroravi, ut de Museo non modo conservando, sed etiam augendo, deque schola tua statim aperienda, deque te ipso Doctore renunciando decretum reportaverim. Quod quidem ajo, non uti a quopiam laudari, neve abs te mihi gratias agi velim; sed ut intelligas, sic Museum, sic juventutem Antiquitatis studiosam, sic te mihi ipsum cordi esse, ut nihil supra. Quæ cum ille dixisset, et paullisper substitisset, tum ego, te enimvero, inquam, cum laudare debent omnes, tum gratias tibi ego agere summas debeo, atque immortales; at idem ipse rogo te iterum, atque iterum, uti quæ tam præclare cœpisti, prosequare. Nihil quidem, inquit ille, rogatu opus est; resque sibi, spero, ipsa, quantum ex animo hæc pollicear, ostendet. Ostendit porro luculentissime; namque etsi de Musei sede amplianda, monumentisque ordinandis, quod uterque nostrum vehementer cupiebat, pro ea, quæ tum erat ærarii conditio, minime successisset, is tamen prætermisit nihil, ut illud statim fieret, quod paucis post annis perquam feliciter effectum est.

Cæterum jam inde ab eo tempore si qua ego monumenta comparanda pro re natâ ad eum denunciarem, pecuniam ille ab ærarii Præfecto, ut compararentur, impetrare numquam destitit; sed et me sæpe monere ipse de monumentis consuevit, quæ venum irent, uti quid essent, et quanti constarent, cognoscerem. Quod cum de non paucis affirmare possim, tum de duobus præcipue commemorare placet, ex quibus nobilissima, et plane singularis Museo subinde accessio facta est. Sunt autem simulacra duo ægyptii operis perantiqui, Sacerdotis ægyptii alterum ex lapide numidico, alterum Deæ Isidis ex lapide lydio: quæ monumentorum accessio eo cecidit opportunior, quod ad diversas ægyptiæ artis pro diversis ætatibus sculpendi rationes ostendendas, confirmandasque mire faciant. Cum enim duæ potissimum exstiterint ejus artificii apud ægyptios rationes, altera quidem ante Alexandrum Regem, altera post, eorum monumentorum alterum primam, alterum alteram præ se fert. Sed intempestivum est diutius hisce in rebus enarrandis immorari, quarum vel ipsa enumeratio sermonem ad multam horam produceret. Quid? si cætera in Archigymnasium Te-

stæ benefacta afferre velim. Quid? si cunctas ejus ingenii, animique laudes persequi. Ille nimirum in re medica plane summus; ille in eloquentia præstans; ille in poesi mire versatus; ille bonarum artium perdiligens; ille in omni eruditione excellens: quod permulta ejus, eaque non per Italiam modo, sed late per Europam notissima opera testantur; ille præterea morum integritate, atque in Deum, Cælitesque Sanctos religione prorsus eximius; ut hoc eum nomine et Ferraria ab ineunte ejus ætate suspexerit, et Gallia, quo studiorum caussâ juvenis concessit, et Italia, quæ cum doctrinarum usu abundantiorem quam antea, tum vero pietate nihil minus enitentem quantumvis in eo ætatis, ingeniique fervore, atque in iis regionibus, perque ea tempora commoratum recepit; ipsi vero, apud quos supremos vitæ annos degit, utinam autem degisset plures! virtutibus omne genus ornatissimum Bononienses mirati simus. Verum expleta laudum ejus prædicatio neque hujus diei, locique est, neque ad me pertinet. Quæ ad me, meaque studia, Museumque nostrum pertinent, supra attigi: reliqua, immo potius omnia Tommasinius, uti ab ini-

tio monui, copiose, eleganterque persequetur, cui antervertere, tamque præclaram laudationis quasi segetem præcidere cuicumque nefas, nedum mihi, fuerit: laudari enim a laudato viro par est. Ego porro jam nimis multa pro tempore ad dicendum dato de præstantissimo hoc viro dixi; quem quidem civem tuum fuisse, Iuvenis egregie, quæ tua in patriam caritas est, lætari optimo jure potes. At credo equidem, si ille viveret, præsensque adesset, cum te honore hocce, quem modo es consequutus, auctum cerneret, spemque optimam, quam hodie movisti, animadverteret, futurum fuisse, ut et ipse de te cive suo magnopere lætaretur. Et vero lætandi caussas haberet multas, justissimasque, neque, sua se exspectatio ne falleret, pertimesceret. Cum enim homini constaret de ingenio, studiisque tuis, deque susceptis adhuc usque in adipiscendâ doctrinâ laboribus, tum certissimæ spei confirmatio accederet ex fratrum duorum Æmilii, Fulgentiique exemplo, qui et jurisprudentiæ iidem operam dederunt adsiduam, utilissimamque, et præclarum sibi ex ejus disciplinæ usu nomen pepererunt. Cum vero et ad tertium fratrem tuum Iosephum, et ad

consobrinum Antonium, Sacerdotes utrosque probatissimos, atque alterum quidem ex auctoritate Pontificis Maximi ab Actis martyrum, alterum Centensis Ecclesiæ Canonicum, respiceret, non posset, quin spem augeret suam, fore ut ad singularem doctrinæ laudem probitatem quoque, pietatemque, quibus ille tantopere inclaruit, in dies magis adjungeres. Nihil, inquam, dubito, quin si Testa viveret, ex tuâ in utroque virtutum genere præstantiâ magnam caperet voluptatem. At tui capient, qui vivunt, florentque, quosque modo nominavi, fratres, consobrinusque; capiet mater tua, femina optima, quæ te novâ exornatum dignitate dum reducem excipiet, et susceptum jam pridem ex fratribus tuis gaudium renovabit, et votorum se omnium compotem per te modo factam læta, libensque profitebitur.

BONONIÆ

EX TYPOGRAPHIA IOSEPHI LVCCHESINII

PERMISSV PRÆSIDVM.